Radziwill, Alb. Stan.

Elogium duodecim virtutum . . deiparae Virginis Mariae.

Varsav. G. Forster, 1655.

ELOGIUM

DUODECIM VIRTUTUM SINE LABE CONCEPTÆ DEIPARÆ VIRGINIS MARIÆ.

AUTHORE

ILLUST^mo ALBERTO STANISLAO RADZIWILLO, S R. J. Principe Duci in Olica & Nieswiesz Cancellario M. D. L. Pinſcenſi, Mevenſi Tucholienſi, Caunenſi Vielunenſi, Daugenſi Capitaneo Oeconomiæ Cobrinenſis & Saulenſis Adminiſtratore.

Proſtant VARSAVIÆ in Officina GEORGII FÖRSTERI S. R. M. Bibliopolæ.

ANNO M DC LV.

S. Bernardus serm. quarto in Assumpt. B. V. MARIÆ.

FAteor imperitiam meam, pusillanimitatem propriam non abscondo; Non est equidem quod me magis delectet, sed nec est quod terreat magis quam de Gloria Virginis MARIÆ habere sermonem.

Illustrissimo ac Reverendissimo Domino D.

Andreæ Trzebicki,

DEI & Apostolicæ sedis gratia Episcopo Præmisliensi, Procancellario Regni, Abbati Czervinensi ac Præposito Plocensi Reverendissimo Dno. & Fratri Colendissimo.

COnscripsi brevissimo stylo coronā ex duodecim stellis efformatam MARIÆ ipsius ductu, cùm verò sciam *Illustrissimā ac Reverendissimam Dominationē Vestram Deiparæ esse devotam*, virtutibusq; parare sibi post sera fata coronam, hunc Benjaminum in senectute calamo genitum, offero, super candelabrum enim si-

gilli Regni positus, ita fulges pietate, justitiâ, mansuetudine, affabilitate, eloquentiâ, cæterisq; dotibus, ut odorem fragrantem in omnium linguis relinquas, & affectu erga Matrem Dei sic excellas, ut nuper Tiaram Vladislaviensem, non postulanti sibi oblatam transire permiseris, ne Abbatia Czervinensi ubi miraculis claret imago sanctissimæ Virginis cederes. Debetur ergo tibi Illustrissime Præsul justè hic libellus, tanquam consecrato servitio B. M. V. à qua in dies devotione propria ampliores gratias impetrare conaris. Legendo ergo talem qualem conceptum, rogo ut Illustrissima & Reverēdissima Dominatio Vestra

mei

mei ſit memor, ac gratè accipiat partum hunc tenuem Scripturæ meæ, Sciens me ſibi ſemper addictiſſimam, cui prima ornamenta in Regno ſtabilemq; ſalutem, ad extremum Senium optando ejusdem gratiæ & benevolentiæ diligenter me commendatum cupio. Dat. Tucholiæ Die Deiparæ 2. Februar. Anno 1655.

Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ

ad officia & obſequia paratiſſimus

Albertus Stanislaus Radziwil.

Ad Lectorem.

CErtum eſt non ab æterno hominem à Deo creatum, ſed ad æternitatem currere tanquam aquam ad oceanum æternitatis; alius feliciter portum beatitudinis attingit, alius naufragium damnationis patitur; alius Coronam Gloriæ conſequitur, alius pænam nec per ipſam æternitatem finiendam incurrit. Naturaliter homo appetit coronam & obtinet. In hoc mundo, impii ſecundum ſapientem ajunt Coronemus nos roſis, addunt, antequam marceſcant; non durat talis corona. Prudentes de aurea corona cogitant, deſiderant coronari, quos Deus gloriâ infinitâ coronat. In mundo ipſi ſibi coronas imponunt, in cœlo à Deo coronis ornantur, ut S. Paulus ait

Non enim qui ſe ipſum com-

commendat ille probatus est sed quem Deus commendat: *Christus in duplici corona apparuit, mundus ei spineam obtulit, cœlum auream donavit, docens hîc spinas tribulationum, in altera vita in aurum loco præmii converti: Ideo rosæ inter spinas nascuntur, ut prospera adversis misceantur. Qui ergo cum impiis roseâ coronâ insigniri desiderat, spinas si non in vita at post mortem sentiet pungentes; si vero probi spineæ adhærebunt coronæ Salvatoris, coronabuntur gloriâ & honore participative. Multæ sunt coronæ in cælo, post Deum MARIÆ prima corona; itaq; meritis paßionis & interceßione Deiparæ postulandum, quidquid in contrarium asserunt adver-*

ſarii ut ad coronam admittamur aliquando in noſtro capite locandam. Simul enim & nos decorabimur & in capite MARIÆ mirè adornatam videbimus coronam, quod ego Lectori opto & viciſsim ille mihi. Vale & finem ad quem creatus es diligenter attende.

JE-

JESUS MARIA ANNA JOSEPH.

Veni Sancte Spiritus.

Signum Magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.

PROOEMIUM.

CUr Corona ex stellis? & cur ex duodecim MARIÆ?

Utar sacratissima Virgo MARIA verbis Filii bis nati, terræ, & cælo S. Monicæ Augustini, in initio hujus opusculi. O Beata MARIA. Quis tibi dignè valeat gratiarum jura, ac laudum præconia rependere? quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdi- Apoc. 12.

 to,

to, quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvet, quæ solo tuo commercio, recuperandi cæli aditum invenisti: Perierat mundus, nisi tu creatum à Deo gratiâ tuâ recreares, creavit verbo Deus mundum, reparavit eundem Incarnato verbo, ex tuo utero egressus: etenim cum creasset fabricam hanc, firmamentum quoq; fecit Deus, & divisit aquas ab aquis, scilicet electos ab improbis. Sic te Virgo Sanctissima in redemptione constituit triplici modo firmamentum, dividendo aquas ab aquis, aliæ submerserunt creaturam; omnis enim
Gen. 6. caro corruperat viam; aliæ pœnam delere promeritæ, cum Psalte: *Plu-*
Ps. 67. *viam Voluntariam segregabis Deus*
Gen. 1. *hæreditati suæ.* Primò, sicut in firmamento, & luminaria, & stellæ constitutæ sunt, ita in te omnes vir-
Gen. 1. tutes plantatæ.) Secundò, in firmamento tuo forti, ipsemet Deus in

utero

utero tuo collocavit potentiam suam per novem menses. Tertio, tanquam firmamentum immobile sustinuisti, labentem incredulitate, & fugâ discipulorum Ecclesiam, inter mortem & resurrectionem Domini Nostri JESU CHRISTI, & Filii tui. Si ergo corona dabatur; consuetudine Romanorum, ob cives servatos qualem tu coronam meruisti? Sed cur ex stellis elaborata? Non potuit aliter. In firmamento cælesti sunt: Sol, Luna, & stellæ; ex sole vestis aptata, ut dictum: Mulier amicta sole; ex Lunâ Apocal. 12. calceamenta: quia sub pedibus, ideo dictum: *Quàm pulchra es Filia Principis in calceamentis tuis.* Cant. 7. Cum Luna sit mutabilis sub pedibus Virginis projicitur, quæ nunquam mutata est à primo instanti Conceptionis, usque ad ultimum vitæ spiritum, nisi in doloribus & afflictionibus Filii pro nobis toleratio. Jam

plena gaudiis, in cœlo, plenilunio gloriæ ornantur pedes MARIÆ: Ex stellis ergo corona præparari debuit, quæ lucent nobis in nocte peregrinationis nostræ; in cælo ubi semper dies fulgent miro splendore, hic rarum, ut in die prope solem compareat stella, ibi verò omnia lucent simul, vel quod præcipuæ duodecim virtutes sunt, quibus aperitur cælum, idcirco duodecim

Apocal. 21. portæ in Apocalypsi nominantur, si quis careat aliqua virtute excludetur ab ingressu, potius cum non lucentibus meritorum stellis tanquam in tenebris aberrabit. Vel cum duodecim Apostoli fuerint, qui CHRISTO orbem doctrinâ subjugarunt, itaque quæcunque virtutes in illis comparebant, multò magis in MARIA excellebant, & ex corona illius participes reddebantur. Et hæc causa, cur ad obitũ convenerint Deiparæ, quatenus excer-

excerpere posset quilibet illorum gemmam aliqvam virtutum. Ita duodecim stellæ in Corona positæ Virginis, tanquam hæreditatis divisione, Apostolis relictæ sunt. Videamus ergo has stellas & enumeremus. Hæ sunt. *Prima* CASTITAS. *Secunda* PURITAS. *Tertia* HUMILITAS. *Quarta* PAUPERTAS SPIRITUS, *Quinta* PATIENTIA. *Sexta* OBEDIENTIA. *Septima* TEMPERANTIA. *Octava* FORTITUDO. *Nona* MISERICORDIA, *Decima* MODESTIA. *Undecima* CHARITAS. *Duodecima* PERSEVERANTIA; quolibet capite unam stellam contemplabimur. Verùm oportet ut luceat intellectui stella tota MARIA, vocatur enim, stella maris, in mari hujus vitæ turbulento serenitatem designans. Adfuit illa Divo Bernardino concionanti in civitate Aquilensi, de hoc ipso signo magno, & de corona in

Ca-

Capite stellarum duodecim; nam cum primam stellam exponeret de Virginitate, licet sole radiantissimo, visa est super caput sancti stella sole splendidior, quæ suos radios in faciem ejus vibrabat, quod universus populus stupore plenus vidit; tandem omnibus admirantibus evanuit, & ipse paulò post extremum clausit diem, quod ipsum stellæ desitione figurabatur, coronandus in æterna Beatudine. Simile quid de B. Capistrano legitur; hic cum in Regno Neapolitano, de Deiparæ laudibus, ac Virtutibus sermonem haberet ad populum, apparuit stella super caput ejus, quæ ab auditoribus visa est omnibus, cumque id mirarentur, & inter se conferrent, ipse de commotione eorum pariter admiratus, cæpit quærere, quid inter se mussitarent, illis quod res erat indicantibus, ipse caput erexit, eandemque stellam evidentissimè conspe-

spe-

ſpexit. Nemo ergo dubitet ſtellas virtutes denotare, adſtruente idem S. Bernhardo. *Cælum eſt anima juſti, habens ſolem intellectum, Lunam fidem, ſtellas virtutes*: Et parum inferius. *Porro ſtellas dixiſſe virtutes, non me pænitet, conſiderantem congruentiam ſimilitudinis; quomodo nempe ſtellæ in nocte lucent, in die latent; ſic vera virtus, quæ ſæpe in proſperis non apparet, eminet in adverſis.* Eminent ſtellæ Mariæ in proſpera æternitate, nihil enim adverſi ibi erit, diviſione verò factâ, quæ in mundo ſimul junguntur, proſpera cum adverſis, poſt mortem proſpera cælum aſcendunt, & coronant electos, adverſa tradunt ad Orcum, & torquent ejectos. Lucebunt ſtellæ in cœlo, quia dies æterna; obſcurabuntur nebulâ ſtellæ in inferno, quia denſa nox extinguet lumen, iu omnibus quidem ſanctis fulgebunt ſtellæ, ſed mirabili mo-

do

do in MARIA ſuper omnes ſalvatos: quia illi Reginæ debetur titulus; competit ergo eidem corona: Ordiamur itaque ordine de corona ſtella Deiparæ.

CAPVT PRIMVM.

De Prima Stella Caſtitatis in Corona Reginæ Cœli.

VErè nitida ſtella caſtitatis in MARIA, quæ ut luceret, Deus immaculata conceptione præ-venit ortum. Cum in carne diſſere-
Matth. 19. ret de Caſtitate CHRISTVS, addidit: *Qui poteſt capere capiat*, de Deipara poſſet quilibet dicere, Qui poteſt videre videat fulgorem ſtellæ caſtitatis, ſed videat tantùm, imitari enim non licet: Poſt Conceptionem & Nativitatem, trimula voto Caſtitatis ſe obligat, quis ſimilis eius Caſtitati? Verum alloquar te B: V: quid agis? quid prætendis in Caſtitate? an non ſcis Meſſiam naſciturum? an latet te virum habituram? an ignoras ſteriles infamiâ laborare? Omnibus renuntias ergo modis, quibus parere poſſis Meſſiam? Reſpondet illa: Tantum mihi

mihi arridet Caſtitas, ut omnia tolerare, eâ ſervatâ, deliberato concluſerim corde, ſim minima ancilla, ſim opprobrium hominum, excludar à felicitate partûs etiam Meſſiæ, tantùm donum Caſtitatis floreat in me, hæ ſunt meæ deliciæ: Quod & ipſa re præſtitit, cum eam Angelus viſitaret, annuntiando de Maternitate Chriſti: In tribus punctis defendit Caſtitatem, ſalutavit ergo illam his verbis. *Ave gratia plena Dominus tecum*; quid illa? turbata eſt & cogitabat qualis eſſet ſalutatio; quare turbata? quia hominem coram quo ſe abſcondere conſueverat, conſpexit: ſolent enim lenones & proci, inducendo ad nefarium conſenſum, à laudibus incipere, ex donis & gracilitate elevare, felicem beatumq; appellare, hinc timor perdendæ Caſtitatis, ea de cauſa, tenaciter cogitatio mentem Deiparæ occuparat, ita, ut os ad reſpondendum occluſerit, ſecundùm Maronem, ſteteringq; comæ & vox faucibus hæſerit; forte dubia, an homo an Angelus eſſet, hominem verebatur, Angeli non præſumebat ſe meritam allocutionem. Itaq; pergit Angelus, & clarius

Luc. I.

rius enarrat de Partu Filij Dei, foreq; illam Matrem asserit. Jam non cogitatione, potius verbo periclitari reputans castitatem, respondet; *Non* Luc. 1. *cognosco virum*, Castitatem vovi, quomodo fiet ut castitas jungi possit partui? impossibile judico, nolo, abi, Castitatem non deseram. Tum Angelus & de obumbratione spiritus Sancti edocet, & ab exemplo Elisabethæ sterilis persuadet, salvâ Castitate posse generari Messiam. Ad hoc Deipara; si Castitate servata potero parere Messiam, nolo esse talis Mater, quæ ordinariè copulâ Matrimonij efficitur, nec Matris nomen usurpare volo, verùm minimæ ancillæ, fiat ergo secundùm verbum tuum Angele, quòd verbum æternum producam ex utero. Parcissimè respondit Angelo, nec decebat aliter, quia verba deficere debebant, cum VERBVM ab æterno genitum, vestitum humanitate in terris comparere decreverat. O insignis stella castitatis in MARIA! & prima ordine, quia juncta cum prærogativa fœcunditatis, dando initium redemptionis nostræ per Messiam, nec violari potuit suspicione Mariti; quod

quod MARIA apud omnes & apud Josephum, quasi amiserit castitatis opinionem, majori laureolâ donata fuerit: in Castitate enim non gloriari; & videlicet in reputatione hominum amissam, diligenter, & secretè custodire, maximi est meriti. Summè grata est cælo castitas, odio verò prosequitur hostem castitatis, Libidinem. In alterâ vitâ quid agetur videbimus; Nunc quid in mundo castitas effecerit; vice versâ Libido, quid destruxerit, per exempla aliquot attendamus. Joseph ob Castitatem factus est Prorex Ægypti, & eam tempore famis conservavit. Gen, 4. Dina ob libidinem causa fuit excisionis urbis Sichimorum. In historijs Romanorum, Scipio restitutâ Captivâ Virgine desponsata viro, totam Provinciam toties victor occupavit. Livius. Annibal, in Campaniâ, Luxuriæ deditus, amisit Carthaginem, quiq; antea victoriâ continuâ Romanos afflixerat, postea fugitivus exul latere apud Antiochum coactus. Cominous. Corolus octavus Rex Galliæ, dum pepercisset captivæ puellæ, roganti ne amitteret Virginitatem, insuper dotem assignasset, Neapolita-

num Regnum occupavit, Mediolanum cepit; & Miraculosâ potitus fuit victoriâ. Galli cum prælium Henrico quinto Regi Angliæ indixissent, quorum numerus ad centum quinquaginta Millia ascenderat, sexduplo excedente exercitu Anglorum, Henricus jussit se confessione omnes munire, Galli verò nec à stupris eò tempore abstinebant, die pugnæ, Gallorum decem Millia cæsa, reliqui fugâ sibi consuluerunt, Anglis paucis desideratis.

Th, Valsius.

De Nicolao Milite affirmatur. Hic cum Nicephori auspicijs, contra Bulgaros militaret, priusquam bellum hostis faceret militi, Mulier fecit, hospitis Filia, ter impetum in Castissimum aggressa est, ter Nicolaus repulit verecundiæ umbone tectus, poterat ergo ante pugnam victoriam canere, solus ex omni exercitu Nicephori victor: etenim sub noctem somnus Nicolaum in campum producit, videt stantes utrinq; acies, signa signis inferri, viros viris concuti, scuta scutis, pedi pedem hærere, ultimò, Nicephori exercitum fugere, multos cæsos, verùm inter tot cadavera locum vacuum videt, auditq; fatalem sibi

Ex Mæneis.

ſibi & commilitonibus futurũ fuiſſe, ſi Veneri heri palmam ceſſiſſet, ſomni veritatem cum ſole dies oſtendit, & ſtrages Romanorum, quibus Bulgari victoriam extorſerunt, ſalvo & incolumi Nicolao noſtro. David Regem curioſa libido ad peccatum & homicidium compulit, in aquis vidit Berſabee ſe lavantem, ideo conqueritur in pſalmo *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ, usq; ad animam meam.* Congruè aquis voluptates carnis comparat, quæ labuntur, & quibus immergitur peccator, tanquam in aquis. Eâ de causâ diluvio aquæ punivit carnis delictum Deus: Caſtitas habet etiam aquam, ſed limpidiſſimam, quâ purgatur aqua ſordida, & pro hâc Rex in remedium oravit. *Lava me Domine ab iniquitate mea;* & iterum *Lavabo per ſingulas noctes Lectum meum.* At iſta diverſitas inter aquas, quòd luxurioſi toti aquis voluptatum ſe immittant, & oculos ſuos declinent ad terram; Caſti lachrymarum aquas in Menſura offerunt Deo, qui ponit eas in conſpectu ſuo. Sed dicet aliquis, etiam igne punitur carnis peccatum, uti Sodomæ actum: duo

2. Reg. 11

Pſalm 6.

Pſalm 50.

Pſalm 6.

Oſe. 55.

Gen. 19.

duo enim continet in se luxuria, immunditiam, & ignem, vel ardorem concupiscentiæ, illa aquâ deletur, hæc igne absumitur; similis enim pænæ culpa assignatur. Castitas similiter habet duo, Verecundiam, quæ si læ-datur, lachrymis pænitentiæ abluitur. amorem purissimum Dei, quem sub voce ignis, in terram promisit se missurum Salvator, ut ardeat; Quot sancti igne combusti, non senserunt vim doloris, prædominante in eis igne cælesti, & amore Castitatis? Verùm super omnes Beatæ MARIÆ castitati debetur gloria, & stella castitatis ornata coronâ: Ipsa enim rectè vocatur

Ecclesf. 44. stella matutina, & duplici quidem

Apoc. 2. modo, quia & antè splendida quàm nata, & quia sicut appellat sanctus Ber-

Bern. de B. M. nardus Castitatem, Lilium MARIÆ, nam magnum est esse Virginem, majus esse Virginem, & Matrem; meruit ergo utramq; benedictionem, ut gloriosior fiat, & Virginitas ex fæcunditate, & ex fæcunditate virginitas, ita ut mutuis radijs se se illustrare hæc duo sidera videantur: hoc tantum miraculum, accepto prodromo stella, tres Magi, ad videndam castitatem

cum

cum fæcunditate conjunctam properarunt. Nihil enim in stabulo nisi Castitas apparebat, Salvator ipsa Castitas tam perfecta, ut licet postea adversarii Pharisæi blasphemiis multis tangerent CHRISTI honorem, voracem, potatorem, & similibus ineptiis appellando, nunquam Castitatem læserint. B. V. Castissima, S. Joseph similiter. stellâ ergo duce Magi venerunt ad stabulum, dum verò transirent Hierosolymam evanuerat illa, quia ubi peccata sunt, stella castitatis amittit lucem: forte jam natus erat Herodi Filius Herodes, qui capite minuerat S. Baptistam, vel etiamsi natus non fuisset, tamen cælum quod futura cognoscit, uti præsentibus aut lætatur, aut contristatur. Id videre est in vita S. Sabbæ Abbatis, quem cum rogasset Justinianus Imperator, ut illi hæredem impetraret apud Deum, exorari non potuit, quòd hunc Hæreticorum partibus accessurum sciret. Sic jam cum præcognosset Creator, crudelitatem parituram incestu cum viva fratris uxore, extinxit suum lumen stella; Nam Castitas semper clamat *non licet*. Luxuria, *licet*. Castitas asserit, nō licet carnis volupta-

Matth. 2.

Matth. 14. Marc. 6.

Marc. 6.

tibus indulgere, non licet Bestiarum more, in cæno immunditiæ volutari, non licebit etiam à morte in infernum ingredi; Econtrario luxuria dicit: licet omnibus peccatis laxare habenas, licebit vicissim Orco, aperto ore deglutire facinorosos; illis duplex præmium castitas assignat, pro verecundia & amore, istis duplex demeritum luxuria pro immunditie, & concupiscentia parat. Stella ergò figurabat stellam castitatis, in Corona MARIA, quæ suo exemplo, non tantùm tres Reges, verùm tot millia mortalium adducit, non in stabulum, sed in cælum, non cum donis sed cum animabus, & postea cum corporibus ad æternam capiendam possessionem. Veneremur itaq; hanc primam stellam castitatis in Corona Reginæ Cæli.

Cap. II.

De Secunda stella Puritatis in Corona Reginæ cæli.

SI puritas cordis, est animæ sanitas, ex opinione S. Bern. quis vincit Deiparam; quis valebit ejus comparari puritati? sicut enim omne pecca-

ca-

catum eſt morbus animæ, ita puritas eſt medicina ejusdem, imo morbus etiam corporis in pænam ob peccatum permittitur, veluti ſanitas in præmium; CHRISTUM Dominum & B. V. nunquam legimus morbo fuiſſe tentatos, & plurimos ſanctos ad ultimam ſenectutem infirmitati non fuiſſe obnoxios. Sed dicet aliquis? Quomodo differt puritas à Caſtitate, multùm certè, nam puritas eſt quid generalius, caſtitas ad ſolum ſpectat corpus, puritas omnibus virtutibus ornatur; uti quondam Horatius cecinit.

Integer vitæ ſcelerisq; purus; Lib. I. Od. 22.

ſcelus non uni ſe mancipat vitio, è contrariò puritas, libera à maculis defectuum. Excelluit ergo MARIÆ ſtella puritatis omnem creaturam, nocte, die, lucens, in adverſis & proſperis, maculam non contrahendo, nec cogitatione, nec verbo, nec opere eam deſerendo; quod ipſa prædicat in cantico ſuo. Quæ illius cogitatio? *Magnificat anima mea Dominum:* ab imma- Luc. I.
culatâ conceptione incepit, trimula in templo continuavit, cum Angelo antequam colloqueretur turbata, in paſſione ſola cogitatione doloris occupa-

ta. Quomodo enim anima, quæ cogitatione maculam contrahit, gloriari poterit, quod magnificet Deum? Verbo etiam puriſſima MARIA, ibidem
Luc. 1. canit. *Sanctum nomen ejus*, id eſt JESUS, verbum ergo æternum in utero concipiendo, qua ratione in Verbo impuritas apparere potuit? Opere immaculata MARIA; non tacet in Cantico.
Luc. 1. *Quia fecit mihi magna qui potens eſt*: qui ergo fecit ut opere dediſſet magna, & quam omnes generationes benedicunt, quomodo potuit ingredi macula? de qua dictum eſt a ſapiente: *Tota pulchra es*, id eſt Caſtitate, *Et Macula non eſt in te*, videlicet puritate.
Cap. 4. Sicut ergo Adam per peccatum, mortem intulit in mundum, cogitatione, verbo & opere delinquendo: Cogitatione conſiderando pulchritudinem pomi, & appetitum illicitum præparando, Verbo, audiendo vocem uxoris & conſentiendo: Opere, comedendo. Sic triplici puritate MARIA abſterſit maculam contractam, ut ergo Deus tegeret impuritatem, tunicam pelliceam ex Agno confecit primis parentibus, eodem modo MARIA ex immaculato Agno, quem cooperuit tuni-

tunicâ humanitatis, & ante Nativitatem utero suo, puritate nos induit & obtulit mundo. In hoc etiam differt castitas à puritate, illa enim amissa semel nunquam recuperari potest, hæc maculata iterum ad primum statum redire valet: inde Regius Psaltes. *Confessio* Psal. 95.
& pulchritudo in conspectu ejus; prius confessio præcedit coram Deo, cum delinquens agnoscit reatum, uti Publicanus, postea justificatur, succeditque pulchritudo. David etiam turpissimis maculis inquinarat animam suam; verùm confessione, dicens; *Peccavi Do-* 1. Reg. 2, 3.
mino, delevit, & pulchritudine comitante rediit ad puritatem; quod idem plurimis sanctis contigit, quorum minimas impuritates Deo displicere animadversum: Testis sit B. Anno Epi- Surius.
scopus, cum urbe pulsus Coloniensi, postea redux alieniorem animum ab his ferret, visus est sibi noctu cum inter Divorum Episcoporum comitia, locum vellet capere, aditu prohiberi, quòd in veste alias candidissimâ, unicam maculam præ pectore gestaret, quam tamen ipsam, mox unà cum injuriæ memoriâ ex animo delevit: ita pro omni impuritate, si hîc pænitentiâ

non exſolvitur delictum, duplex locus aſſignatur poſt mortem, vel Purgatorium, quo ad tempus detenti peccatores, delentur igne eorum maculæ, vel infernus, quo, & culpa & pæna æternûm non extergitur: ſicut ergo omnes notæ, aut aquâ, aut igne emundantur, ita maculæ animæ, aut lachrymarum rore, aut igne purgatorii tolluntur, & licèt exteriùs non appareant, tamen intus coinquinant conſcientiam & faciem internam: de qua S. Bernardus. *Quid internæ faciei decus niſi puritas.* Et poſtea: *Impuris non ſe oſtendit Veritas, non ſe credit Sapientia.* Ita cum Deus creaſſet hominem ad ſimilitudinem & imaginem ſuam, non externam faciem intellexit, quâ Deus caret, at faciem internam potiùs: quæ ſunt operationes intellectus, hæ creatæ ſunt in homine puriſſimæ: poſtquam itaque peccaverunt Parentes noſtri, depravata facies interna primò peccati originali, poſtea veniali, ac mortali: Ut ergo deleretur macula interna faciem externam aſſumpſit Salvator ad ſimilitudinem hominis viciſſim, S. Paulo dicente. *Factus in ſimilitudinem hominum & habitu inventus ut homo*, de exteriori ergo facie Do-

Sup. Cant. cap. 62.

S. Paul. Philip. 2.

Domini deformi, dixit Pilatus, *Ecce Homo* per Ironiam: Et reformata eſt meritis paſſionis facies interna mortaliũ. Quod ipſum & MARIÆ accidit, puriſſima illa fuit intùs, extra purificationẽ indigebat quaſi, eâ de causâ venit in templum; verùm etiam ut oſtenderet internam, par turturum oblationẽ declaravit, uno in teſtimonium caſtitatis, alio in puritatis verificationem præſentato. Applaudit. S. Bern. Turturis hoſtia fuit pro partu virgineo: cum enim vox turturis gementi ſimilior ſit quam canenti, tacitè puritas gemebat & virginitate excellens, & Maternitate Dei eminens in cœlum, qui verò ſunt impuri, canunt tam fortiter & prædicant ſua ſcelera, ut in inferno audiantur. Proponit Deus etiam hîc in mundo ad oculum, quàm abominabilis ſit impuritas. Videtur id apertè in Tiridate Rege, qui cum S. Gregorium Armeniorum Epiſcopum, variis maceratum ſuppliciis, in ciſternam incluſiſſet, altitudine & fœtore, horrida per quatuordecim annos, ecce comparuit ibidem Gainna Antiſtita, formâ verò inter omnes eminebat Ribſimis, cujus cùm caſtitatem oppugnatum iret

Joan 19.

Luc. 2.

Surius.

Dioclecianus fugit illa, vincere docta. Parthorum more, sed Tirida es Rex nō minùs quàm Dioclecian⁹ in virgine dicta periit, verùm Amazones offendit, itaq; vitam eripere potuit omnibus, sponsum CHRISTUM ne uni quidem, quamvis nec illud impunè; nam cùm Tiridates Deo sic volente animum humanum jam nuper impuritate exuisset, nunc corpore in porcum abiit, mundoque non fictum Elpenora spectandum dedit, neque setas' priùs posuit, quàm ex cisterna extractus Gregorius cruces templaque CHRISTO, & quod caput est, populum sacrasset, tunc enim & Rex sordes posuit, & sacro lavacro lotus, cum hominis schemate mores humanos recepit: Quid erit cum damnati impuritatis, in bestias vel potiùs ipsos dæmones convertentur, absque ulla spe reducis puritatis? MARIA licet purissima, specie impuritatis ob pravum visum hominum sibi imputatâ procedit ad templum, & propter legem, cui non erat subjecta purificatur, docens nos si purificatione indigemus, templum adire, offert nos Deo, & gemitu impetrare veniam. Perfectissima ergo fuit puritas in MARIA.

& in-

& intùs, & extra, uti teſtatur. S. Dionyſius, visâ MARIA, aſſerendo, aſpectu ejus ad puritatem omnes invitari, quid intus? Deo ſoli cognitum, & Davidi. *Omnis gloria ejus Filiæ Regis ab intus*: Objiciet alter, quid eſt neceſſarium ad puritatem? Reſpondeo cum S. Bernardo nimirum neceſſariam eſſe ad puritatem integritatem actionis, ſimplicitatem intentionis, & tranquillitatem devotionis, ideo puritas confert etiam tria, ſpiritum libertatis, gaudium ſecuritatis, firmitudinem charitatis: Quâ ratione impurus homo integritatem conſervabit actionis, qui eſt diviſus? ore laudat Deum & mente offendit. Si Deus prohibuerat in veteri teſtamento immunda comedere, & ne os macularent, & corpus abſtinere, quomodo acceptabit ex ore impuri oblationem, ſed quia jam licentioſa dominatur impuritas, etiam cibi immundi ſumuntur. Simplicitatem intentionis, quæ unica debet in Deum ferri, tollit impuritas, immundities verò, mundi intentione diſtrahitur; Neceſſarium denique ſequi, minùs tranquillam habere devotionem impuros, ita fortè ut oratio eorum fiat in peccatum,

Pſalm. 44.

Levit. 11.

Marc. 7. tum, qua de re conqueritur Dominus. *Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum est longè à me.* Si ergo necessariis ad puritatem caret peccator, sequitur non posse habere spiritum libertatis, quia in faucibus Luciferi constringitur catenâ perpetuæ dumnationis; non habet gaudium securitatis, quia pavet semper, & conscientiæ impuræ agitatus stimulo, timet interitum; non habet firmitudinem charitatis, quia amorem creaturæ & rerum visibilium præfert divino amori: nam uti odium animæ in mundo, ob maculas conscientiæ conciliat amorem, vicissim amor animæ impurus, ab æternâ excludet charitate: hâc de causâ B. V. excelluit, puritate; quia necessariis ad conservandam eam abundabat, & omnes sanctos antecellebat, quod idem S. Anselmus existimat, dicens ad MARIAM. *O Benedicta inter mulieres, quæ Angelos vincis puritate, & sanctos superas pietate.* Si ergo sancti coronas gestant victoriæ, qualis est MARIÆ? Debetur ergo ei secunda stella puritatis cum congratulatione excellenti in Corona verè Regiâ.

CAP.

CAP. III.

De tertia ſtella Humilitatis in Corona Reginæ Cœli.

MIrificè fulget humilitas in MARIA: quia poſt humilem Deum prima, ſalvator Doctor humilitatis de eâ gloriatur dicens. *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Itaque Matth. 11. cum ad docendum in mundum de humilitate deſcendiſſet, noluit niſi per uterum humilem (quæ cum Mater eſſet ancillam ſe nominavit) comparere Luc. 1. mundo: Videamus CHRISTI humilitatem & Matris, & aliquos ſequentes doctrinam humilitatis. Doctor Gentium de Redemptore ait. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens usq; ad mortem. Propter quod & Deus exaltavit illum.* J. B. ad Philip. 2. Exaltatio ergo eſt propter humilitatem: Deus relictâ ſede ad dexteram Patris per humilitatem rediit ad eandem, ſed cum maximo de Mundo, Morte, Diabolo triumpho: Homo ſuperbus, ex luto, ad cinerem, de quo factus, totâ vitâ pergens, ducitur in Gen. 2. triumpho à Morte, Mundo & Diabolo ad lutum inferni, Quare? Quia ſuper-

biâ inflatus inobediens fuit usque ad mortem, propter quod Deus illum humiliavit. Quomodo (proh dolor) poteſt hoc intellectu capi: *Deus humilis & homo ſuperbus?* Chriſtus aſſumptâ humanitate rejecit initium & finem hominis id eſt ſemine viri noluit concipi & naſci, nec in cinerem corpus ſacroſanctum converti poſt mortem, quod fatetur Rex: *Non dabis ſanctum*
Pſal, 15. *tuum videre corruptionem.* Medium tantum elegit hominis in vita, quod ſaperet humilitatem, videlicet ſtabulum, labores, Paſſiones, Plagas, contemptum, crucem, & mortem toleravit. Homo econtrario, turpiter conceptus, turpiùs in puluerem reverſus, vitam quod medium eſt arrogantem ducet? Chriſtus ante initium paſſionis, utcom-
Joan, 13. mendaret humilitatem, lavit pedes diſcipulorum, & ore oſculatus eſt, etiam Judæ: Sic humilitas pedibus adhuc proditoris oſculum figerè non erubeſcit, ſuperbia verò ſimul intingit manum cum Domino in Paropſide, & in horto ad os non veretur accedere, & oſculari, Quis Magiſter? oſtendit
Judæ. Evangelium: *Cum intinxiſſet Chriſtus*
Joan, 13. *panem, dedit Simonis Iſcariotæ, & poſt*

huc-

buccellum introivit in eum sathanas : Qui videndo Deum osculari pedes proditoris ex humilitate, è contrario suggessit superbiæ Princeps, ut proditor oscularetur os Dei. In Paradiso prohibuit Deus vesci de ligno vitæ ne moreretur, homo serpens seduxit falsitate Deitatis, ut comederet & moreretur: sic à superbiâ persuasus dejectus est in terram Adam & Eva. Nam cum humilitate impossibile est descendere, quia quò descendat non habet, cum superbiâ verò impossibile est ascendere, quia à Deo prohibetur : Centrum ergo humilitatis est, cælum, difficulis ascensus. *Ibunt Sancti de virtute in virtutem* & tunc. *Videbitur Deus Deorum in Sion.* Centrum superbiæ infernus, ubi superbi non descendent sed cadent. Mirantur cælites casum Luciferi & interrogant. *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer?* cadendo enim factus est Lucifer, quia cadens celeri motu perdidit lucem, & ad tenebras usque pervenit: Propter quod execranda est superbia, amplectenda humilitas. Uti ergo humilitatis causa Christus exaltatus est ut dixerit. *Ego cum exaltatus fuero à terrâ omnia ad me traham*; propter quod

Gen. 3.

Psalm. 83.

Isai. 14.

Joan. 12.

 secu-

ſecuta eſt evectio: ita quia Deipara proxima fuit exaltationi in cruce Chriſti, ſecuta exemplum illius, licèt
Luc. 1. alia phraſi gloriatur, dicens: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Quid igitur ſecutum eſt? *Ex hoc beatum me dicent omnes generationes.* Chriſtus Propter quod, MARIA ex hoc, exaltati ſunt propter virtutem humilitatis. Secuti ſunt viri ſancti Chriſtum. Propter quod ſecutæ ſunt Sanctæ Fæminæ MARIAM. Ex hoc. Matris Dei ergo breviter percurramus humilitatem in medio, id eſt in vita exhibitam, nam initium & finis excelſa, cum enim Dei Mater coluerit in ſummo gradu humilitatem, eâ prævisâ Deus, & immaculatam concipi, & in pulverem non redigi corpus ejus voluit. Docebat ergo totâ vitâ humilitatem. Præſentatio ejus in templo, nonne humilis? triennis parvula Deo ſe offert. Hinc Chriſtus agens gratias Patri ait: *Confi-*
Matth. 11. *teor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Quare non dixit à ſuperbis & arrogantibus, & revelaſti ea humilibus. Ratio, rectam intentionem requirit Deus: poteſt eſſe hu-

humilis aliquis ad apparentiam, & esse superbus, ac vicissim, superbia se manifestat mundanâ sapientiâ, prudentiâ, eloquentiâ, vult laudari, extolli, & sic prodit in publicum superbia oculta: humilitas etiam aliquando palliata decipit, uti in Herode, & tribus Regibus, ad oculum, omnes voluerunt adorare Christum, diversâ tamen ratione, humilitas ficta occidit, humilitas sincera adorat: Sicut itaque parvulus, uti in se est omnibus apparet talis, ita humilis verè & à cœlo & à terra cognoscitur; non aliter sapiens & prudens sæculi vult æstimari ut magnus, superbus idem appetit. MARIA ut verè se humiliet, templum adit & ætate, & moribus, parvulam se præsentat. In colloquio cum Angelo, à quo postquam Matrem se futuram Dei didicisset, respondit MARIA: fiat quidem ut generem Filium secundùm verbum tuũ, qui, verè Deus est, servata nihilominus humilitate, ut non vocer Mater sed ancilla, propterea nunquam fuit à Salvatore appellata Mater, at mulier, quæ & ancillæ nomine gaudere non prohibetur. In visitatione Elisabeth quod actus humilitatis? ferè in quolibet. Luc. I.

bet versu cantici sui exercet se in habitu humilitatis. Quis enim magnificat Dominum magis, nisi humilis servus & ancilla? Quis exultat in Deo, nisi humilis? qui servit in timore, & exultat in tremore? Quis respicitur à Deo nisi humilis? Quis recipit à Deo magna, qui potens est? nisi humilis? Quis misericordiam experitur Dei timens eum, nisi humilis? Quis non sentit potentiam Divini brachij, & dispersionem mentis superborum nisi humilis? Quis non deponitur de sede superbiæ? & exaltatur, nisi humilis? Quis esuriens impletur bonis? nisi humilis: Quis suscipitur à Deo veluti puer ob misericordiæ recordationem suæ, nisi humilis? Quis benedictionem Abrahæ promissam, & semini ejus, per os Creatoris consequitur, nisi humilis? O admiranda humilitas in MARIA! In domo Elisabethæ prævenit salutatione illam, operam ancillæ præstitit in servitio puerperii illius, benedictione replendo domum totam, tacitaque ac humilis rediit domum. Dum amissum Christum MARIA in templo invenisset, allocuta est, *Fili, quid fecisti nobis sic?* Filium vocat, quia Angelus dixerat in annun-

Luc. 2.
Luc. 1.

tia-

tiatione ei, concipies & paries Filium, utitur ergo verbo Angeli. Quanto ulterius procedit, dixit ad Christum. *Ego & Pater tuus dolentes quærebamus te.* Luc, 2.
Cur non dixit ego Mater & Pater tuus? humilitas probibuit, & quia illa alios extollere non neglexit, se verò deprimere, Patrem enim licèt sciret putativum Joseph vocat, de se tacet sciendo se veram Matrem esse, inde advertens Christus humilitatis virtutem, in responso Matrem non nominat, tantùm Patris æterni voluntatem se exequi declarat, in Josephi. ac si vellet dicere, cum sis Luc. 2.
Mater mea, & celas, placet mihi, & nihil replico, sed cum Josephi mentionem facis uti Patris mei, hoc non possum tegere, habeo alium Patrem verum in cælo, te verò hîc, & in cælo semper agnoscam pró Matre tacitè, sicut tu desideras. Accidit etiam, cum Mater & alii fratres expectassent ante januam Christũ, de illisq; rescivisset, ac de præsentiâ Matris, JESUS: extendit manus super discipulos, dicens: *Quæ est Mater mea & qui sunt fratres mei: quicunq; enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & Mater est.* Considerate humilitatem Matris, Matth, 12.

tris, quæ nec ingredi voluit ad Filium, nihil enim notatur hâc de re, & complacuit sibi quod dupliciter esset Mater, & utero quia genuit, & mente, quia perfectissimè voluntatem Dei explevit. Sub passione & cruce Filii, qualiter humiliata fuit Mater, quis exprimet? Imitati sunt sancti Christum. *Propter quod* S. Johannes Baptista non se dignum judicavit ut solveret corrigiam calceamenti JESU, clamabat ter, non sum Propheta, *Propter quod* Salvator extulit illum dicens, Est plùs quàm Propheta: &; non surrexit major Joanne Baptista inter natos Mulierum. Josephus propter virtutem detruditur in carcerem, testimonio Regis Davidis; *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus. Exaltavit Propter quod* Deus illum, ut sceptro regeret Ægyptum & appellaretur Salvator. Prodeat tertius S. Alexander Episcopus, Carbonarius dictus: in civitate Comani Præsul obierat. Gregorius Magnus venerat daturus Pastorem, omnes Magnos splendidos nominant, nescio quis joco ex turbâ Alexandrum inclamat (qui maluit ex humilitate sordidatus cælum prensare,

inter

Joan. 1.
Matth. 11.
Psalm. 104.
Ex Gregor. Thaumat.

inter sylvas abditus carbones faciendo, quàm mundi superbiâ aberrare à fine) jubet adesse Alexandrum vidensque indolem, & splendentem à rogo humilitatis, *Propter quod* infulâ exaltat, ornat, & acceptabilem reddit incolis: Postea Martyr factus, & exustus, iterum dedit carbones vel potius carbunculos, quibus lucet tantum, & nunquam uret nec uretur. Et in sexu fœmineo mulieres secutæ sunt MARIAM, *Ex hoc*, pænitens Magdalena depositâ superbiâ, persuasaque ab humilitate, ad pedes Christi jacuit, *Ex hoc* audivit: *Remittuntur tibi peccata*, nam septies in die elevabatur ab Angelis in aëra, quem locum ego vidi. Respexit ergo humilitatem ancillæ suæ Deus. Chananea clamat. *Nam & catelli edunt de micis. Quæ cadunt de mensa Dominorum suorum*: Elicit verbum a Domino: *Ex hoc ô Mulier magna est fides tua.* Respexit ergo Deus humilitatem ancillæ suæ. S. Maria Ægyptiaca repulsa ab ingressu templi, ac à Deipara admonita rejectâ flagitiosâ vitâ, quadraginta sex annis inter feras victitans, *Ex hoc* fluvium Jordanis siccis pertransiit pedibus, & viatico munita sacro obiit, Leoni,

Matth. 15.

ni, à morte superbo injunctum, ut foderet sepulchrum humilitati, respexit ergo Deus humilitatem ancillæ suæ. Humilitas est aquæ ductus quò enim profundius descendit eò altius ascendit. Humilitas est scala ad cælum, vel primus gradus scalæ. Superbia non habet scalam, nec uti potest eâ, veluti fundator Lucifer, qui caruit scala, nec potuit in terra ponere, quia terram, futuram carnem Dei noluit adorare, nec in cœlo collocare, quia sedem, non scalam fabricare intendebat, sicut fulgur dejectus fuit, quem omnes superbi seqvuntur, ideo nec in terra nec in cælo sed in inferno sedes eorum æterna. Beatissima Virgo perfectissima poterat gloriari scala, in terra gestando in utero Hominē Deum & in cælo eundem triumphantem habendo qui per eandem scalam quâ ascendit eò traxit cum animâ & corpore Mariam, ut Creator nobilissimam creaturam, ut filius immaculatam Matrem. Uno verbo, superbia Angelum in Diabolum transmutat. Humilitas ex Ancillâ terræ, Reginam cœli constituit, in quâ corona, tanquam Reginæ debita, stella humilitatis splendidissima apposita.

Luc. 10.

CAP.

Cap. IV.

De quarta ſtella paupertatis ſpiritus in Corona Reginæ cæli.

QUomodo convenire poteſt cum corona paupertas? egeſtas cum divitiis? contemptus cùm reverentia? Optimè, quia Humilitas eſt cognata Paupertati, & connexa, ſi ergo illam coronam ornat Reginæ ſua ſtella, nec Paupertas minus elaborabit aliquam ſtellam in eâdem: Sed dicet quis: qualis conjunctio inter Humilitatem & Paupertatem ſpiritus eſt? Maxima, Paupertatem omnes ejiciunt, deſpiciunt, Humilitas recipit in Domum ſuam, non eſt beata illa paupertas, quæ humilitatem neſcit, neque Deo placita humilitas quæ paupertatem ſpernit, non otioſa Paupertas laborat ſemper, uti S. Paulus pauper dicit de ſe: *Nulli oneroſus fui ſed in fatigatione die & nocte panem otiosè non comedi.* 1. Cor. 10. Humilitas collaborat Paupertati, ideo conqueritur Rex Citharoedus. *In laboribus hominum non ſint, & cum hominibus non flagellabuntur ideo tenuit eos ſuperbia.* Paupertas reſpicit molles lectos,

& pul-

& pulvinaria delicata, Humilitas rejicit talia etiam, & nec exiguam amicitiam cum iis rebus quæ mundi sunt statuit: legit enim Joannem indutum pilis Camelorum & qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt, & audit; vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet, verum ubi magis, utraque virtus non separata, quam in Christo, & Matre MARIA. in stabulo, in Ægypto, in Domo, in Campo, in Passione, in Cruce, in Morte, & post Mortem. Humilitas semper indivisibilis comes paupertati: S. Paulus asserit. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.*
Philip. 2.
Redemptor, ecce humilitas cum Paupertate. nam non tantùm pro servo, sed pro malo servo habitus, ideo nudus crucifixus. B. V. MARIA Mater fuit pauperum, quia genuit Patrem in stabulo Pauperum, adfuitque nudo morituro: & quia paupertas est onerosa illis qui ex prosapia Regia originem sumunt, id contigit MARIÆ: asserit enim sacra scriptura, eam ex genealogiâ Regum descendisse, ac nupsisse postea fabro, uti aliqui putant lignario, quid vilius? Verum aliâ ex parte jure me-

merito factum, quia non manu, at oratione Deiparæ elaboratum fuit lignum, in quo divitiæ æternæ, per suspensionem in eo Redemptoris comparatæ sunt. Mirabilis ordinatio Dei, noluit Filium nasci nisi ex humili, & Paupere Matre, ut illam genus Mortalium exaltaret & ditaret. Paupertati ubiq; respondent divitiæ, humilitati in terra superbia, in cælo exaltatio. Quare non ibidem superbia? Ratio, Falsitas judicii humani. & apprehensio à Parentibus in Paradiso, instructore serpente persuasit, ut comesto pomo, latentem sub promissione non veræ Deitatis, imbiberint superbiam, & aberrarint non tantùm ab humilitate, sed etiam à paupertate, quia tum se nudos agnoverunt, & tegere paupertatem coacti sunt, inde uti superbia, sic vestium luxus divitiæque creverunt. Ut ergo utriusque vitii ædificium everteret Deus, Humilitatis & Paupertatis doctrinam in mundum induxit, ac ut à puero imbiberet, ex lacte pauperis & humilis Matris hausit: ita quodcunque de Filii paupertate legitur de Matris quoque egestate intelligendum. Cum verò in paupertate vera, desideretur,

ne

ne etiam cupiditas habendi titillet cor, id in Deipara apparuit, quæ dona & munera à tribus Regibus oblata, distribuit, & inops cum Filio ad Ægyptum profecta. At cur non servavit dona? tribus enim virtutibus contraria fuére, Aurum Paupertati, thus Humilitati; superbi enim libenter odoribus fumant: Myrrha contemptui carnis, nam conservationi integri corporis inservit. Salvatoris & Deiparæ corpora rectâ ad cælum, non indiga Myrrhæ, delata; Imitati idem Apostoli: & desiderium etiam habendi reliquerunt: Judas solus per cupiditatem, & loculos occultè habuit, & eâdem persuadente vendidit Christum, propterea Corona quæ capiti illius imponi debebat ponderepecuniæ decidit, & Matthiæ Pauperi aptata est. Ad rem ergo S. Bernardus dicit ad sororem. *Quamvis*

Serm. de Cupiditate. *pecuniam non habeas, tamen si habes cupiditatem habendi nil valet tibi, nihil valet corporis nuditas, si tibi est vestimenti cupiditas.* & supra ibidem. *Non est mirum si morientes cupidi, inferni ignibus deputentur, qui viventes flammam cupiditatis suæ non exstinxerunt.* Sicut enim cupidi & veri,

veri & tecti paupertate clamant. *Affer.* *Affer*, ita verè pauperes dicunt. *Aufer.* *Aufer*, hac de causa perfectissimus vir secundum cor Dei in Psalmo orat. *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt de necessitatibus meis erue me.* Quid magis tribulat cor quàm avaritia? putat esse necessaria quæ superflua sunt, de talibus necessitatibus erui desiderat iste sanctus. Triplicia ergo sunt desideria hominum, alii semper plus & plus appetunt, qui sunt divites sæculi, alii tantùm necessaria uti Salomon postulabat. *Divitias & Paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria.* Atque nil volunt præter Deum, læti exsultant in paupertate, cantando. Prov. 30.

Cantabit vacuus coram latrone viator. Juvenalis.

De hoc Rex gloriatur. *Cantabiles mihi erāt justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.* Quare? quia *Ego Mendicus sum & pauper. Dominus solicitus est mei.* Voluntaria ergo paupertas placet Deo sine murmuratione. Nam & Sanct. Bernardus notat. *Multi sunt Pauperes, quos ipsa paupertas non facit Beatos, sed miseros, quia eam non propter Deum sustinent,* Psalm. 118. Psalm. 39. De Paupertate Serm. 46.

nent, sed coacti, & sunt nonnulli pauperes quos paupertas non facit miseros, sed Beatos, quia eam propter Deum sustinent, de quibus dicitur: Beati Pauperes spiritu. Et licet semper conveniat humilitas cum Paupertate, oppositas habeant superbiam. & divitias, tamen humilitas cum divitiis copulari potest, uti in Abrahamo, & Job videre est, Paupertas cum superbia nullo modo amicitiâ jungi se permittit, etiamsi secretissimâ viâ procedat. Hinc odit *Eccl. 25. Pauperē superbum*; Qui ergo humilitatē cum Paupertate sociatam gerit, felicissimus est. Talis fuit MARIA & humilis, & pauper propter Deum, cum in ipso Deo ideam paupertatis semper ante oculos habuisset, eoque magis se ipsam ad complacendum in ea disponebat virtute, si enim S. Francisco tantùm placuit Paupertas, ut eam Dominam vocaret, salutaret, & totâ vitâ exerceret, nudusque moreretur, ac Religiosis tanquam quid pretiosum commendaret ad imitationem Christi. Si S. Hospitius apud
S. Gregor. Tur. Nicensem Gallorum Urbem, alta abditus turri, onustus ferro, omniumque rerum squalore deformis, cum iratum Numen, Longobardorum irruptione

sce-

scelera vindicaturum esse intellexisset, aliis author fugæ, ipse ergastulo non excessit, cujus dum in extrema paupertate, toto corpore à vermibus depasti nō nemo misereretur, negavit illos sibi convivas graves fuisse, eorum morsiunculis excitatum se ad amandum Deum, non debuisse suis monitoribus cibum invidere, simul verò atque Beatum cœlo reddidit spiritum, totum examen disparuit, mirâ ergâ Mortuum reverentiâ, ut appareret in vivum ex ejusdem imperio peccasse. Si S. Paulinus pauper cum nihil haberet, quo viduæ Filium è servitute educeret, ipse se in mancipium loco illius tradidit; Si ergo nominati sancti Paupertatem ita coluerunt, ut potuerint usurpare dictũ Philosophi *Si tibi displicet nomen Pauperis, muta, & vocaberis expeditus.* Expediti fuerunt sancti, & celeres in cælum evolarunt: S. Franciscus inter Seraphinos collocatus: S. Hospitius integro corpore diu à morte remanens, animæ gloriam interpretatus est: S. Paulinus, veloci cursu camerâ in qua obiit tremore concussâ, raptus in cœlum, quid putamus de B. V. tanquam Paupertatis dono à Deo ornata? quæ ad

In Vita ejus.

Seneca.

Ex S. Greg. Tur.

ipſam crucem Filii eum in Paupertate comitata fuit, quod adeo placuit Chriſto; ut in verbo quo allocutus eſt il-
Joan. 19. lam. *Ecce Filius tuus ecce Mater tua* apertè conteſtatus ſit, quaſi dicens. Tu mea Mater, habuiſti me Pauperem Filium, ſed tamen Deum, jam ego relicta paupertate, ad veras divitias propero, tu ut adhuc magis in paupertate proficere poſſis, Pauperem Filium loco mei do, qui non eſt Deus, ſed homo tantùm, & Pauper Piſcator, ita ſicut vita, ſic & mors in oculis hominum Pauperrima fuit Deiparæ. Verè admiranda Paupertas, cùm propter eam ſint divitiæ, & ipſa divites in cælo collocet, juxta Sal-
Luc. 16. vatoris doctrinam. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis ut cū defeceritis recipiāt vos in æterna tabernacula.* Paupertas eſt levis ſicut pluma, flante Spiritu Sancto elevatur in cælū, & eſt Cambiū certum quod defert aurum in cælis & uſuram non requirit, imò cum fænore reddit. Sed hoc dolendum, nos homines ſi alicui diviti, vel poſſeſſionato, vel etiam Judæo mutuum damus, Chyrographum ab eo accipimus, & tuti de reddendo ſumus, Chriſto verò non ad-
Matth. 25. hibemus fidem, qui publicè dat Chyrographū. *Quamdiu feciſtis uni ex fra-*

tri-

tribus meis minimis, mihi fecistis. &c. *Date & dabitur vobis.* Est etiam benè possessionatus. Rex David fidejubet dicens in Persona ejus. *Meus est enim orbis terræ & plenitudo ejus*, & tamen non fidimus. Si Epulo Dives dedisset auri aliquid Lazaro, per cambium, deportasset in sinum Abrahæ; & inde non solum guttam aquæ, at vinum ei, quod lætificat cor hominis, pro auro emptum demisisset: infatigabilis enim est Paupertas nec ullo onere fatigatur; Divitiæ vero ad centrum terræ tendentes possessores suos in infernū trahunt. Verùm ad pudorem nostrum Ethnicos aliquos ponam, qui paupertatem divitiis prætulerunt. Phocion Atheniensis adeo sprevit divitias, ut grande pondus auri donatum ab Alexandro pertinaciter contempserit. Hinc sapientes Græci disputabant majorne esset Alexander an Phocion? qui aurum ejus repudiasset. Non absimilis fuit quidam faber cujus e regione dives habitabat, quem cum cantantem & lætum semper vidisset, advocat & quærit otiosus ille stator. Ecquid posset totos soles, ita lætus & Musicus transigere? cui faber, nullas opes habeo, quas au-

Luc. 6.

Psalm. 49.

Drex. de Paupertate.

D. Guarinoninus

geam, nullas etiam habeo quas perdam, ita nec bella metuo, nec fures, nec Latrocinia, panis meus à muribus tutus est, opes meæ, nec naufragia timent, nec incendia, Ego, Conjux, Liberi, ferro, lanaque vivimus: Idem author de Anacreonte Philosopho narrat, post acceptum munus pecuniarum à Policrate Samiorum Tyranno, tres noctes insomnes egit, ideo pecuniam retulit cum dicto. *Pecuniâ malo quàm somno carere.* Quid Christianis agendum? qui alias divitias in cælo exspectant. Refert Historia Indica cum Hispani eò venissent, unusque illorum ferrea ascia arborem excinderet, vidit fœmina quædam, quæ aurea securi idem faciebat. Animadvertendo ergo ferrum melius scindere quàm aurum, post laborem Hispano obdormienti tacita advenit, & furto ablato ferro, aurum suum supposuit ac fugit: Sic pauperes spiritu faciunt, relinqvunt aurum, & ferrum, quo lumbos cingant carnem domen, eligunt. Hoc præcipuè in MARIA enituit, quæ ut diximus Aurum trium Regum distribuit, quo Pedes, Manus, Pectus Christi perforatum fuit, & ipsius animam gladius pertransivit.

Idem.

In Histor. Indica.

ſivit. Ferream ergò duxit vitam, & Pauperem, ſcivit optimè ex ore Filii Dei & ſui, Portam eſſe anguſtam, & depreſſam ad cœlum, non poſſe intrare niſi humiles & Pauperes, nec claudi poterit oſtium, quia ſunt leves & veloces, antequam occludetur præcurrent, onuſtis autem, obeſis, & divitibus non patebit, quia paulatim, teſtudineo greſſu incedunt, & cervicem non inclinant, ſic excludentur ab ingreſſu. MARIÆ quæ fuit humillima & pauperrima, tota janua erit aperta, nam ipſa eſt Regina cœli, quis non aperiet Reginæ? Itaque ſtellæ Humilitati, tanquam Vicinæ, in Corona Reginæ ſuam Paupertas ſtellam collocavit, quæ lucet lucebitque in omnem æternitatem.

Cap. V.

De quinta ſtella Patientiæ in Corona Reginæ cæli.

SEquitur paupertatem ferè ſemper, Patientia, non facilè divitiæ ſunt patientes, niſi ſint coactæ, vel quando debent avelli ab illis, qui poſſident, vel caſu aliquo adverſo, vel morte,

Eccl, 41. unde dicitur: *O mors quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in substantiis suis.* Ubi enim est pax, excluditur patientia, quæ pacè caret: nam triplex est, secundùm Bernardum patientia, Propter Verborum injurias, Propter damna rerum, Propter corporis læsionem; Difficilè verba injuriosa concoqvuntur, Rex de eò

Psal. 37. conqueritur. *Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.* Medicinam ergo adjunxit, pati tacitè, & non loqui. Damna rerum, impatientiæ generant affectus: idem Rex; gravatus fortè damno, a-

Psal. 54. lios & se docet, dicens, *Jacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem ju-*

Psal. 39. *sto.* Et alibi: *Ego autem mendicus sum & pauper Dominus sollicitus est mei,* recepta, ad Deum confugere cum spe adjutorii. Corporis læsio patientiam re-

Psalm. 40. quirit, idem David. *Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus, versasti in infirmitate ejus.* Levamen sentitur, si juvetur à Deo, læsus. Confirmat S. Paulus:

Qua-

Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus. Verùm si rectè consideremus, tota vità hominis volens nolens, circa patientiam occupatur: Parui disciplinam horrent. Doctor Gentium, asserit minorennem, etiamsi sit dives & hæres, nihil differre à servo, qui plagas domini sentit. Increscente ætate, quo patientiæ documenta? malus vicinus, debita, contentiones, vulnera, detractiones, comites sunt vitæ. Senectus ipsa morbus, qui non potest esse absque patientia. Videamus in primogenito nostro Jesu Christo, qui postquam natus est, usque ad verbum, *Consummatum est*, primò & ultimò, præ omnibus virtutibus, exercuit patientiam, die Nativitatis lacrymas fudit, die circumcisionis, sanguine maduit: lacrymæ, ab animæ vulnere, procedere solent, sangvis, à corporis vulnere: ut ergo patientiæ exemplum daret, sangvinem lacrymis junxit, modò puer, parum dat sangvinis, quia parum habet, crescet postea, & simul crescent labores, & undæ sangvinis profluentes è corpore, ita ut totum sangvinem cum lacrymis, teste

Rom. 15.

Joan. 19.

 Pau-

Paulo, fundere necesse fuerit, post mortem sangvis & aqua, lacrymarum locum tenentes è latere procedent. In horto etiam, non sine lacrymis dictum:
Matth. 26. *Tristis est anima mea, usq; ad mortem*: & statim postea sudore sangvineo conspersit locum. MARIA experta est idem, & patientia, quasi, tota vita illius fuit, passio in omnibus actionibus Filii, in illa expressa, tanquam in sigillo, & fortè in Nativitate, similitudo, ex circumstantiis sicut in cruce, patientiæ, apparuit: In Nativitate Christus fuit Filius nudus, Mater propterea tristis, Joseph comes doloris, in præsepii ligno, puer, inter duo animalia positus; Adstabant tot numero, & propè crucem, à morte Salvatoris, filius alter datus S. Joannes, Mater amarissima, Joseph, uti prior ad educandum, alter Joseph ad deponendum de Cruce, duo latrones, unus ad instar bovis, duobus cornibus
Luc. 23. pungebat Christum. *Si tu es Christus, filius Dei Salvum fac temet-ipsum, & nos.* Et de Deitate dubitabat, improperabat, quòd non salvaret: Sed uti bos, ad macellum inferni ductus, occubuit. Alter latro, ad instar asini, quo fuit bis vectus Christus, semel liberavit eum

ab

ab Herode, altera vice, in Dominica palmarum, ad triumphum eum portavit: sic bonus latro, & à lingvis malevolorum defendit, & cum Christo in Cruce triumphans, paradisum ingressus est: lux in nocte visa, sub tempus Nativitatis, tenebræ, lucem diei obscurârunt, in morte Domini, hæc omnia torquebant cor MARIÆ, tantâque angustiâ obruta fuit, ob mortem Filii, ut ipsam mortem superaret, propterea Græci, somnum non mortem, transitum postea è mundo MARIÆ, vocârunt, qui enim considerat dolorem, quem Deipara habuit, in morte Filii, mirabitur patientiam, videre Filium unicum, Deum simul, innocentem, maxima & inaudita tormenta, sustinentem, videre hæc omnia, & non mori? potuisset dixisse Mater, morte mori meliùs mihi fuisset, quam vitam ducere mortis; nam passione, & summâ patientiâ non mori, morte crudelius. Exprimit egregiè id, S. Bernardus. *Cogitare nunc libet quantus dolor tunc infuit Matri, cum sic dolebant quæ in sensibilia erant, nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera MARIÆ, nunc* In Lament. D. V.

 soliùs

soluis Virgo cum usura, quod in partu, non habuisti à natura: dolorem, pariendo Filium, non sensisti, quem millies replicatum filio moriente passa fuisti, juxta Crucē Christi stabat emortua Mater, quæ filium ex Spiritu Sancto concepit, vox illi non erat, quia dolore attrita jacens pallebat, quasi mortua vivens vivebat, moriens moriebatur vivens, nec mori poterat quæ vivens mortua erat, in illius anima dolor sævè sæviebat, optabat mori magis, quàm vivere post mortem Christi, quæ malè vivens, mortua erat. Certè cupiebat jungi morte cum Filio, ut cum doloribus ejus, perirent & dolores Matris. Tria non sunt annotata ex passione Domini ab Evangelistis. Veronicæ officiū, Quid passus fuerit nocte Christus apud Caipham, Et de dolore MARIÆ. Primum, virtutem suam exercet jam, Romæ: Secundum, potest aliquo modo colligi, pia meditatione: Tertium, patientia MARIÆ, excedit omnem captum, & in die Judicii, publicatio fiet hujus virtutis, nam cum dupliciter probetur patientia, contemptu, & dolore, quis magis contemptum & dolorem, expertus est, quàm MARIA? Ex progenie Regia orta, Dei Mater, plena omni-

mnibus virtutibus, in summo contemptu fuit, ubique exclusa, paupertate comite vixit; stans prope crucem, quàm abjecta fuit? & puto, passam plurimùm à Judæis militibus & omni genere hominum, S. enim Joannes Apostolus, fuit notus Pontifici, illa ignota, jungamus contemptn dolores, quis nō obrui patientiâ illam, asseret? Imitati etiam Sancti multi, patientiam. Sed dices, tu mihi, cum Job, Tobia, Susanna, evolabis? non recentiora & minùs publicata, tibi tria proponam. Primùm sit exemplum, de S. Eleazario Confessore, quem ipsemet Christus in patientia exercuit, cùm nescio qualis noxæ periculum adiisset, Christus eum per totum, carminis Davidici, quem quinquagesimum numeramus, decursum, flagellis cæcidit, manus ergo Dei, sicut Job, tetigit illum. Alteram, in pago Brabantino, Parochiæ S. Petri Volnensis, celebratur anniversarius dies. B. Mariæ, cujusdam Virginis, quæ dolorosa est dicta, hæc Deo & B. Mariæ V. cum castitatem suam vovisset, contigit impudicum eam amare, cumque nihil proficeret nec se ea, pollui sineret, eam de furto argentei scyphi falsò ac-

cusavit, & tantum egit, ut innocenter sit terræ defossa, & sude transverberata, circa Annū D. 1290. claret miraculis, & ante mortem pro visitaturis memoriam Deiparæ, in loco suæ requietionis intercessit, unde & calumniator postquam septem annis dæmoniacus fuerat, in eo loco restitutus est, per Deiparam, ejusque famulam, de qua agimus, Mariam. ibi est, & confraternitas, dicta B.M.V. Deiparæ, in capella hujus dolorosæ. Nonne plus passa quam Susanna? quæ tamen evasit ictum mortis, neque calumniator, ut illi senes, lapidatus, immo sanatus hic, & in corpore, & in mente. Tertium sit de S. Thiemone Episcopo & Martyre, huic in somniis delata tiara Salzburgensis, & omen martyrii, verùm cum in illam involasset Pseudo-Episcopus Berchtoldus, qui Thiemoni, spem infulæ auferre cum capite, voluit, sed aut exerravit gladius, aut duriorem se cervicem deprehendit, facilè missam mitram facturus, elapsus è carcere, Hierosolymam petiit, ibi à Turcis captus, cum statuariam artem professus esset, jussus est truncum, & deformatum Machometis simulacrum, splendori reddere pristi-

no,

no, Thiemo, malleum, aliaque artis instrumenta, petiit, mox ubi ad manus hæc fuêre, celebre & oraculis illustre, idolum, in mille alias partes deformaverat, nunquam doctiùs arte sua usus. Nec præmium artifici defuit, scuticis toxicatis cæsus, omnibusque membris trunco venter discissus, baculoque implexa ilia, sede sua cum corde evulsa, reliquit tamen opus immortale post se, & quale nullum Praxiteles. Tobiæ ergo patientia, privatione tantùm luminum probatą, in Thiemone patientia inaudito tormento approbata. At Salvator noster, tanquam caput patientiæ, eminebat capite, cùm nullus tanta passus fuerit, ideò & gloriatur coram Discipulis ad Emmaus euntibus. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Luc. 24. Si ille cum patientia tanta, in suam ingressus est, quid nobis, in alienam intrantibus, patiendum? Deiparæ gloria, fuit gloria Christi, quia filio cum Matre, omnia communia, ea de causa in passione & compassione, prima post Christum. Bene Drexelius: *Per dolores & patientiam, ad mortē itur; hæc via Regia est, exiguo, tempore dolemus, ne doleamus æternum.*

Certe

Certe Regia via, quam Rex & Regina cœli, calcârunt, Refert idem Drex: Olim milites, quos Soli, antiqui dicatos scripserant, cum Sacramentum dicerent, coronam â mucrone gladii pendentem accepisse, quo ritu significabant victoriæ & coronæ laudem, non aliter quàm ferri cuspide, obtinendam. Si quæras. qua ratione gloria cælestis, sit acquirenda? B. Paulus non aliud, quàm quod modò diximus, respondet. *Apprehende Vitam æternam*; porrigit Deus beatitudinis coronam, sed à mucronato ferro pendentem. Vis illam? apprehende, etsi manum, ferri cuspide nonnihil lædas, non refert, modò coronam auferas. Si ergo Deiparæ non tantum manus, sed cor & animam, juxta vaticinium Simeonis, ferrum & gladius pertransivit, necessario supremam abstulit Coronam, in qua stella patientiæ, comparet speciosissima.

1. Tim. 6.

CAP. VI.

De sexta stella obedientiæ in Corona Reginæ cæli.

Benè

BEnè dicitur: Geminæ ſorores Patientia & Obedientia, vincunt omnia, *Vir obediens loquetur victoriam.* Victoria nobiliſſima quæ adipiſcetur, parendo iis etiam, qui acerba imperant & ſevera: hinc rectè Auguſtinus: Drex. de Obed.c. XIII. Prov. 21.

Sola obedientia tenet palmam,
Sola inobedientia invenit pœnam,

Verè virtus fortis, quæ detraxit de coelo Chriſtum, qui cibum appellat, obedientiam præſtandam Patri. Et hoc eſt, quod triplex notetur Obedientia. Naturalis, Coacta, Voluntaria, Naturalis in multis praxim exercet: Filii parentibus, ſervi dominis, ſubditi principibus, tenentur obedire: Coacta in mancipiis, in captis ab hoſte, in incarceratis manifeſta: Voluntaria in religioſis, beneficiariis gratis commendat obedientiam. Chriſtus naturalem & voluntariam amplexus, non coactam, quia imaginatione tantum hominum eam declaravit, cùm vinciretur catenis cum caperetur, cùm carceri includeretur, dixit enim ipſemet. *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Joan. 10.
Illas verò duas, perfectiſſimo modo,

in

in exemplum nobis tradidit. Naturalem, bis describit Evangelista: *Et erat subditus illis*: adhuc amplius quàm obediens, Et licet in templo inventus dixisset: *In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse*. Tamen secundum textum Evangelii, reversus est iterum ad obedientiam. Voluntariam exponit S. Paulus: *Christus factus est obediens usque ad mortem*. Axioma fuerat, duorum principum Turcarum, Mustaphæ & Mahometis: *Aut obediendum, aut moriendum*: utrumque id Salvator expressit, quia & obedivit, & mortuus est, ubi enim nihil obedientiæ, nihil erit Divinæ gratiæ, nihil meriti. Et S. Bernard. explicat, Christi illud dictum: *Melior est obedientia quàm victimæ*, quia in obedientia mactatur propria caro, in victimis aliena: in Christo & victima, & obedientia fuit in propria carne. Beatissima MARIA, obedientissima fuit, non tantùm usque ad mortem Christi, sed & post mortem etiam, & quia de carne ejus assumpta, facta est victima caro Salvatoris, ipsa socia fuit, hujus victimæ & obedientiæ, per compassionem, immò propter obedientiam, adstans Cruci, non est mortua, ut obe-

Luc. 2.

Ibidem.

Philip. 2.

I. Reg. 15.

obediret Filio, (quam reliquit ob commodum Ecclesiæ vivam) & non morti, cui natura fragilis in tantis doloribus, debuisset obedivisse: Sicut ergo Christus, in omnibus obedientiam præstitit Patri, & docuit; Sic illa imitata est, nam cum dixisset, in horto Salvator: *Pater si fieri potest transfer à me calicem hunc*, cum quo ei Angelus apparuit; Subjecit tamen: *Verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu. fiat voluntas tua.* Verùm mirabitur aliquis, quare vel persona Patris, vel Spiritus S. vel homo aliquis, ut S. Johannes Baptista; vel ex Patriarchis, non comparuit? id nullo modo potuit esse. Homo, quia nondum possessionem cæli adeptus, nuntium è cœlo afferre non potuit, Non Pater Deus, quia ex justitia decreta ab illo, obedire & pati debuit Filius. Non Spiritus S. Deus, quia consolator est, & tunc non consolatione, at confortatione, opus erat, ut dicit Evangelista, confortans Angelus visus est: Et ea de causa clamans in Cruce Christus bis dixit: *Deus meus, Deus meus: ut quid de reliquisti me?* utramque personam nominat à qua fuit derelictus: Quando verò Psalmista, implorat benedictionem

Marc. 14.

Matth. 26.

Marc. 15.

nem Divinam, tres enumerat personas, & unum Deum: *Benedicat nos Deus*,
Psalm. 66. (Pater videlicet.) *Benedicat nos DEUS noster*, (Christus scilicet, quia nostram carnem assumpsit.) *Benedicat nos Deus*, (Spiritus S. intelligitur.) Su junxit:
Psalm. 66. *Et metuant eum, omnes fines terræ*. Ecce unus Deus proclamatur. Verùm quare tantùm unus Angelus adfuit cum Calice? quia una solùm natura humana, patiebatur in Christo: in Ascensione autem, duo visi Angeli, quia utraque, & Divina, & humana natura, ascendebant in cœlum. Christus propter obedientiam, adhuc & Judæ, quem ad osculum admisit, & decreto Pilati, & Coronæ spineæ, & Cruci se subdidit, uti
Psalm. 39. per Regem loquitur: *In Capite libri, scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Scripta fuit voluntas in capite, in quo corona spinea, portanda erat, & lex, in medio cordis, quia lanceâ, apertum cor, lacrymis & sangvine, voluntatem & legem implevit Patris. Dumque doceret orare
Matth. 6. Discipulos, postquam dixisset. *Pater*
Luc. 11. *noster, qui es in cœlis adveniat Regnum*
Matth. 6. *tuum*: Compendium subdit. *Fiat volun-*

luntas tua: ſicut in cœlo, & in terra. MARIA excelluit etiam in hac virtute, teſte S. Epiphanio, *Sicut cum Eva eſſet Virgo, per inobedientiam, transgreſſa eſt mandatum, è contrario per Virginem MARIAM, obedientiæ gratia facta eſt, annunciato adventu in carne, de cœlo, & vita æterna.* Inobedientia Evæ, expulit è paradiſo hominem, obedientia MARIÆ, reſtituit, non tantùm paradiſo, ſed cœlo eundem: Obedivit Angelo cum protuliſſet: *Fiat mihi, ſecundũ verbum tuum.* Obedivit eidem, cum Eliſabetham concepiſſe ſterilem audivit, cum feſtinatione abiit in montana, *Non quaſi incredula de oraculo, nec quaſi incerta de nuntio, nec quaſi dubitans de exemplo*, tantùm ut Angeli promiſſum videret, *Non eſſe impoſſibile apud Deum, omne verbum.* Venit, & tribus menſibus manſit in ſumma obedientia: Obedivit homini MARIA, cum juſſu Auguſti venit in Bethleem ut conſcriberetur cum ſponſo Joſepho: Obedivit Deo, quia nec conceptum filium, in utero revelavit Joſepho, nec unquam ullo peccato Deum offendit: Obedivit Joſepho & ſomno illius, Angelus enim, non Matri, ſed Joſepho præcepit:

Lib. Adverſus Hæres. S. Epiph.

Luc. 1.

S. Ambroſ.

Math. 2. pit: *Surge & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Certè potuisset ratiocinari, nonne ego sum vera Mater, Joseph autem putativus Pater, mihi potiùs revelandum fuit, somnia etiam aliquando sunt falsa, exspectabo, donec major certitudo, allata è cœlo fuerit: nihil horum; consensum præbuit, fugit accepto puero, & mansit donec iterum in reditu, somnio secundo, Joseph obedientiam iterasset: Obedientia MARIÆ, omnium hominum superavit obedientiam. Abraham, tantùm voluntate, in filio mactando, obediens fuit: MARIA, ipso actu, obtulit Filium, morti adstitit, & voluntati Dei, paruit: Apostoli non statim omnia reliquerunt, nam & post resurrectionem, ad retia reversi sunt, & tamen gloriabantur: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: immò præmium continuò poscebant, dicentes: *Quid ergo erit nobis?* MARIA nihil tale pacta, tacitá omnem obedientiam exsecuta est. Aptè convenit, quod in canticis notatum: *Collum tuum, sicut turris eburnea.* Obedientiæ symbolum, est collum, quòd illa flectat, prematque, ut præcepti onus

Math. 19.

Ibid.

Cant. 7.

nus admittatur; nam Domina nostra in rebus arduis, & quæ impossibilia videbantur, sese fortissimam exhibuit, quia prægnans Bethleemum contendit, quia cum filio, in Ægyptum migravit, quia sub Filii patibulo, stetit, quia omnia difficilia, obedientiâ superavit, rectè turri Eburneæ comparatur. Itaque verum, quod S. Gregorius ait: *Cæteris Virtutibus, Dæmones impugnari, obedientiâ vinci. Quid hoc autem miri? Deum vincit obediens.* Et sub Cruce, MARIA, obediens fuit Christo, accipiendo in Filium S. Joannem, & ipsi S. Joanni, nam sic ponitur in Evangelio: *Et ex illa hora, accepit eam discipulus, in sua.* Debuisset ut Mater, accepisse Joannem in sua, non; Excessus obedientiæ MARIÆ declaratur. Obedivit demum, post mortem Filii, cum sola retinuisset fidem, dilapsis discipulis qui dubitabant de resurrectione Christi. Quanta ergo virtus obedientiæ, quæ sola fidem fideliter tuetur, Inobedientia enim omnium hæresum, rebellionum cõtra fidem Catholicam, est causa: obedientia soli Romano Pontifici, & successoribus ejus exhibita, roborat & certam reddit fidem, inobedien-

S. Gregor.

Joan. 19.

dientia tot capita habet, quot hæresiarchas, Arriani, Anabaptistæ, Zvingliani, Lutherani, Calvinistæ, vocantur, hos & similes parturiit inobedientia. Nos autem in fide nostra, obedientiam aliquorum, adducamus in exemplum, qui conati sunt, sequi vestigia Christi & Matris. Paulus Confessor, *Obsequentis* nomen, adeptus fuit, cum picem in aheno bullientem à flamma, jamque exundantem nudo brachio, quoad subsideret, jussu superioris impunè versaret. S. Gandulphus cum pessima uxore conflictus sæpissimè habuit, obedientiæ Dei telo obiecto, tulit onus patienter, itaque vicissim res inanimata fuit illi obediens, & ulta est adulteram conjugem, nam cum in Campania pranderet, essetque fontana limpidissima vicina, ad speciem existitit quæstio, quanti fontanam æstimet? hospitem interrogat: sibi enim oppido allubescere, hospes delirium interpretatus, pretium tamen statuit, Landulphus aquam quanti indicata erat emit, & se dat in viam, inaudito miraculo fons eum sequitur, & Varennis ubi domicilium habuit, novo ortu erumpit, seriò jam damnante mercimonium suum Campano, ex hoc ergo fonte, calculum le-

Ex mæneis.

Ex Surio.

levare uxorem jussit, absoluturus eam si id impune fecisset, accipit conditionem cum risu illa, sed brachium velut ex Vulcani olla fœdè ustulatum retulit. Si Joannes Damascenus, cultor Deiparæ insignis, eâ manu quæ prius abscissa, postea miraculosè restituta fuit, corbes venales tulit per multa milliaria Damascum, & pretium prout jubebatur, duplo grandius indicavit, & quamvis ab omnibus largiter, irrideretur, ab obedientiæ tamen præscripto, nec latum ungvem abiit. S. Bernardo visendum se Salvator dederat, cujus aspectu, & colloquiis, mirum quantùm recreari cœperat, sed dum his deliciis fruitur, importunus ad aures appellit Campanæ domesticæ sonus, atque ad evertendam domum cum aliis evocat, Quid hic ageret Sanctus? quo pedem flecteret? Hic retinet JESUS pascitque & recreat qua luce oculorum, qua cœlesti voce, inde suo tinnitu evocat campanula ad objectum, vile, sordidumque officii genus, deseruit tamen Bernardus Dominum apparentem, sibi, & quidem sinè mora & perfecto labore ad cellulam rediit, at JESUM suum, eodē adhuc vestigio hærentem reperit, non

In Vita ejus.

sine ingenti lætitiæ sensu, audita insuper voce, Bernarde fili mi fecisti quàm optimè, ubi à me abiisti, id ni fecisses abiissem ipse, non facilè postea rediturus. Vidimus & Christi & Matris obedientiam, quid inde præmii? S. Paulo post humiliationem in cruce, addit.

Philip. 2. *Propter quod & Deus exaltavit illum & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Ut ei omne genu flectatur: MARIAM quæ adstitit Cruci, quæ fuit obediens ad mortem, & post mortem filii, exaltavit etiam illam Deus ita, ut cum corpore, & anima assumeretur in Cælum, & in hoc obedientiæ explevit officium, dum ergo coronaretur tanquam Regina obedientiæ assueta, consensit, sibi stellæ instar gemmam Obedientiæ in Corona micantem imponit.

CAP. VII.

De septima stella temperantiæ in Corona Reginæ Cæli.

TEmperantiæ virtus obediens est legi Divinæ, uti intemperantia obediens est legi ventris, vel è contrà, temperantia, inobediens est carni, in-

intemperantia obediens genio; In duobus apparet temperantia, victu, & amictu; in victu, ſolent vina aliqui temperare aquâ, verè ille temperat aquâ vinum qui dividit cum paupere potum: hinc Ps. *Simul in unum dives & Pauper*. Pſalm. 48.
Si non dividit longo ſpatio ſeparantur, ut in divitè Evangelico apparet: paupertatem figurat aqua, vinum divitias, ſi dives Lazaro dediſſet menſuram vini, certè non guttam, ſed dolium aquæ ab Abrahamo accepiſſet; denegando, adeò ſunt ſeparati, ut ille in inferno fuerit ſepultus, hic in ſinu Abrahæ collocatus. Certè Pſittaci proverbium, temperantiæ Symbolum fuit. *Ne quid nimis*. B.V. MARIA ſingulariter ſervabat temperantiam, teſte S. Ambroſio *Talis fuit MARIA*: & infra. *Quid exequar ciborum parſimoniam officiorum redundantiam, alterum ultra naturam ſuperfuiſſe, alterum penè ipſi naturæ defuiſſe, illic nulla intermiſſa tempora, hic congeminati jejunio dies, & ſi quando reficiendi ſucceſſiſſet voluntas cibus plerumque obvius, qui mortem arceret non delicias miniſtraret*. Idem de potu intelligendum: quod in miraculo Canæ Galileæ videre licet, cum deeſſet vinum, Lib. de Virginibus.

jussit afferri aquam Mater, miscuit miraculo filius Deus, ideò non gutta aquæ post assumptionem, sed torrente voluptatis potata fuit, cum anima & corpore ingressa in cœlum, dividebat cum pauperibus divitias, quas à Regibus accepit, sic ut illis omnia, sibi nihil reservaret; De illa intellexit Rex sapiens,
Par. cap. 31. *Deditq; cibaria ancillis suis*: quæ cibaria? in uno omnia: dedit enim illum
Joan. 6. qui dicit. *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus* Ancillis suis, id est animabus humilibus, quæ ut B. V.
Psalm. 122. Ancillam se vocat cum Davide: *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum*; ut nos cibo Angelico reficiant, rogantes, & quod videbatur S. Hieronimo impossibile, hoc in MARIA possibile, aiebat ille *Impossibile est & in terris implere ventrem & in cœlis mentem*. Temperantiâ implevit Deipara mentem, dum sine peccato ullo esset, & ute-
Joan. 1. rum, cum in eo *Verbum caro factum fuit*. Confirmat V. Beda *Asseverans esse B.*
V. Beda. *MARIAM Dei Genitricem & inde quidem beatam, quia Verbi incarnati Ministra facta est temporalis, & quia ejusdem semper amandi, custos manebat æterna.*

Tem-

Temperantiam etiam oſtendit MARIA, dum in utero juſtitiam Divinam, miſericordiâ temperavit mortalitate humana, induendò Verbum. Et quia in temperantibus optimum condimentum inſtruit fames, unde ſecundum Medicos puriſſimus naſcitur ſanguis: ſic deſiderabat & famelica erat MARIA, clamabat *Rorate cœli deſuper*, famem ſaturate, ita factum; nam ex concoctione ſuſpiriorum eiaculantium, temperantiæ virtute mediante, puriſſimus ſangvis & caro Chriſti prodiit. Merito vocatur Deipara. *Navis inſtitoris de longè portans panem*: Navis inſtitoris uterus onuſtus mercibus perfectionum, virtutumque, de longe, videlicet de cœlo attulit panem. Temperantia videtur etiam Laureti, dum ſcutellæ parvæ, & viles, oſtenduntur ex quibus veſcebatur & MARIA, & JESUS, & Joſeph, & forte aliquid familiæ: quia ergo in natura non datur vacuum, quod ſubtrahebat neceſſitati MARIA, ſupplevit cibus allatus de cælo, per Dapiferum Gabrielem Archangelum. Sciebat Domina noſtra in hac vita eſſe nos, uti in caupona tanquam hoſpites & advenas, ſecundum

Eſ. 45.

Prov. 31.

S. Paulum, in qua liberè homines comedunt, bibunt, ludunt, quando autem venitur ad solutionem, intemperantes cum non possint satisfacere, aliquando carceri includuntur, & etiam morte solvunt debita; temperantes exiguâ depositâ monetâ liberi abeunt. MARIA ideo in hospitium noluit divertere pariendo Christum, at in stabulum maluit, ubi parvo pretio vivitur. Judicium Davidis de intemperantibus & divitibus *Dormierunt somnum suum & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis*: Quia nimirum epulati sunt, & omnem spiritualem consumpserunt substantiam: De temperante autem ait: *Gloria & divitiæ in domo ejus.* Qui ita temperanter vivendo congregat, ut domum habere possit in Cœlo. Hoc etiam est notatu dignum, quod post mortem in inferno sit temperantia, in cælo verò abundantia: de inferno Cytharedus pronuntiat quorum ibi locus: *Famem patientur ut canes.* De cæli habitatoribus idem. *Cibavit illos ex adipe frumenti, & de petra melle saturavit eos.* Et licèt dilatet os infernus, & ad gulam invitet, decipit tantùm, sicut hospes fraudulentus, multa promit-

Psalm. 75.

Psalm. 111.

Psalm. 58.

Psalm. 80.

mittens, fame saturans, Cœlum licet
habeat angustam portam, verùm o-
mnis gloria, & abundantia ab intus. De-
nique & nunc in cœlo Deipara domi-
natur temperantiæ, quia pænam pro
peccatis nostris temperat, filii Dei, &
propriis meritis. In amictu etiam
temperantiam tenebat MARIA: Juste
referri potest dictum Salomonis de il-
la, *Quæsivit lanam, & linum, & operata* Prov. 31.
est consilio manuum suarum. Quid ha-
bet consilium ad manus? immo tem-
perate agere omnia, & cum consilio la-
borare expedit, Idem Rex *Anima mea* Psalm. 118.
in manibus meis semper: Id est In labo-
re secundùm rationem. Quomodo
ergo quæsivit lanam & linum MA-
RIA? Postquam ex Paradiso eiecti,
sunt parentes, propter nuditatem & fri-
gus, Deus illos operuit; sed brevis &
tenuis fuit vestis, quæsivit MARIA la-
nam, cùm illum invenisset & genuisset,
de quo dictum, *Ecce Agnus Dei:* hic Joan. 1.
non tantùm contra frigus, armavit, ve-
rùm ignem accendit, ut ipse dixerit:
Ignem veni mittere in terram, & quid Luc. 12.
volo nisi ut accendatur? Linum etiam
quæsivit MARIA & invento, talem
consuit vestem, de qua S. Paulus: *In-*

 dui-

Rom. 13. *duimini Dominum JESUM Christum.*
Prov. 31. Addidit Salomon *Cingulum tradidit Chananeo.* Chananeus fuit vicinus hostis Israeli; quis est hostis animæ nisi vicinum corpus? quod absq; cingulo vellet epulari? sicut proverbio dicitur, qui multum vorat, oportet ut laxet cingulum, qui verò currere vult in equis, ut vocant per postam celeriter, & absque noxa conficere iter, oportet ut fortiter cingulo se constringat, & parùm comedat, in via sumus dum vivimus, celeriter properamus, oportet Chananeum, nostrum corpus cingulo temperantiæ coërcere; Et hoc
Lucæ 12. est quod Christus dixit: *Sint lumbi vestri præcincti.* Et Habacuc: *Ut requie-*
Habac. 3. *scam in die tribulationis, ut ascendam ad populum accinctum nostrum.* Optima Magistra MARIA, quæ assidue cingebat temperantiæ cingulo corpus suum, ut dictum est, ideo & nunc cingulum. Venetiis asservatur Deiparæ, ut per exteriorem cincturam in terra, interior ponderaretur in cælo, Traditio est B. M. V. consutilem tunicam nō adeo pretiosam, Christo cum quo simul crescebat manu elaborasse, de cingulo nihil auditur: quia eo non indige-
bat,

bat, cum ſit eminenter in Deo temperantia. Temperantia MARIÆ fuit totâ vitâ nota omnibus, cùm inter dolores & lætitias, eundem tenorem magnitudinis retinuerit, acerbitatesque atque gaudia, æquâ lance ponderarit. Attendat aliquis ad vitam Virginis Virginum, animadvertet mirabilem diſpoſitionem in ea, nunc factam Virginem, & Matrem Dei ſimul, nunc deſponſari viro artis mæchanicæ, nunc implere benedictione domum Eliſabeth, nunc ſuſpicione angi Joſephi, nunc cum gaudio parere Deum; nunc videre circumcidi, infantemque filium ſangvinem fundere, nunc agnoſci pro Deo filium, & ſe pro Matre Dei à Regibus, nunc fugere in Egyptum in paupertate, nunc reverti in Nazareth, quod interpretatur Sanctus, nunc amittere filium in templo, nunc eundem invenire, & ſubditum habere, nunc in nuptiis deeſſe vinum, nunc prece ſua à filio ex aqua videre vinũ fieri, nunc laborare, inſtruere, docere, fatigari, atque mori filium, & adeſſe morti, nunc reſurgentem in gloria intueri, & ſcuto temperantiæ nec propter anguſtiam, nec propter gaudium, cor emori, quid ma-

gis temperantiæ convenit? Didicit à Fi-
Joan, 13. lio qui loquitur *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Non tantum dedit exemplum in vita, sed etiam post mortem declaravit, cùm post resurrectionem, non carnes sed pisces cum Discipulis comedit. Multi temperantiæ etiam dono excelluerunt, imitati temperantiam Christi, & Matris Dei. S. Macarius Alexandrinus septem annis sine cocto edulio, sine omni somno, dies viginti, quadragintadiale jejunium sine omni cibo transegit, satur cœli deliciis, interea & piis nunquam non lacrymis ebrius, centum tamen annis vixit. S. Andreas Zoërardus alii Suiradum vocant Polonus, præter triduanam frequentẽ inediam, quadragesimam, solis quadraginta nucibus contentus transegit, tantæ fuit vir abstinentiæ & temperantiæ. S. Otto Episcopus Bambergensis, nunquam se ad satietatem, panem in Episcopatu comedisse dixit, semper enim sobrius ac penè jejunus de cæna, vel prandio surrexit, apposita omnia infirmis, pauperibus & mendicis, impertiens. Quodam tempore jejunii multa piscium penuria fuit, quidam verò pro-

Ex Vitris Patrum.

Ex M. Episc.

Surius.

procurator ejus luceum parvæ quantitatis, emptum duobus solidis prandenti attulit, benè paratum, modestè obsecrans, ut se uberius reficeret, cum ille pretium intellexisset. Absit, ait, ut miser Otto tot denarios absumat, defer potiùs hunc pretiosum cibum Christo meo, si aliquem in lecto jacentem vel paraliticũ invenies: nam ego robustus hoc me pane reficiam. Si in aliis miramur Sanctis temperantiam, quid in MARIA? necesse ergo fuit, ut in candida Corona ejus, stella temperantiæ includeretur: illa enim & cælum & terram temperie quadam conjunxit, animam cum corpore in cælum introduxit, paupertatem & divitias simul copulavit, ut esset verum in cælo, sicut & in terra ut supra dictum *simul in unũ dives & pauper.* Psalm. 48.

Cap. VIII.

De octava stella Fortitudinis in Corona Reginæ Cæli.

FOrtitudo non videtur cum temperantia benè convenire, cum hæc debilem reddat, ad excipiendos ictus corporis, seu animi, infirmum faciat:

 Im-

Immo per temperantiam diſponitur fortitudo, ut in Samſone patet: cujus Matri apparuit Angelus præcipiendo
Judic, 3. dicens. *Vinum & ſiceram non bibat, & quidquid ex vinea naſcitur non comedat, nullo veſcatur immundo.* Natus poſtea Samſon, præceſſit omnes fortitudine. At MARIA, fortitudine omnes ſuperavit: illam intelligit Salomon: *Mu-*
Proverb, 31. *lierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretium ejus.* MARIA fortis Mulier, quæ Deum ſuperavit, Diabolum debellavit, de ſe ipſa triumphum reportavit, duos Leones vicit, Leonem de tribu Juda, qui *Exultavit*
Pſalm. 18. *ut Gigas ad currendam viam, & occurſus ejus usq; ad Summum ejus, nec eſt qui ſe obſcondat à calore ejus:* illum incluſit in ſuum uterum, & ex gigante parvulum fecit, ab Herode defendit, in Ægypto abſcondit, & hyeme, in gremio ſuo calefecit. In Zodiaco cœleſti ſignum eſt, inter Leonem & libram Virginis, Leonem genuit ut dictum eſt, Libram tenet, ut ponderet duo ſigna ſequentia, ſcorpionem ſcilicet, & ſagittarium: Scorpio ſignificat mortem; nam & niger eſt, & mortem infert morſu: Sagittarius eſt, qui ſagittas dirigit in cœlum, ut vulneret; ſic enim in canticis

con-

conqueritur sponsus dicens, *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, Vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Bis vulneratum se asserit, ab oculo, & à crine, fortè ab intentione oculi interni, & à cooperatione externi una vulneratur. Quid MARIA? quæ totius vitæ intentione externi oculi, & interni, placendi Deo, omnibus cogitationibus soli sponso adhærendo, non vulneravit? Et sagittas emittebat, juxta illud *sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excussorum.* Potentes manus habuit Deipara, ut ipsa de se in cantico: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Potentiam illi suam communicando: & iterum: *Exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo.* Actiones ad Deum dirigendo, & de illo assidue cogitando. Nonne potens MARIA, quæ Deum portavit? hunc canit Ecclesia: *Quem cœli capere non poterant tuo gremio contulisti.* Portavit uti Mater, & genuit, portavit ad circumcisionem, ut executrix legis Divinæ, portavit ad templum ut nutrix, portavit in Ægyptum, & reduxit ut vehiculum, portavit mortuum, & sepelivit, ut Vespillo, quis non miretur ute-

Cant. 4.

Psalm. 126.

Luc. 1.

Luc. 1.

ri, manuum, potentiam? sed cur addit
Psal, 126. Rex? *Ita filii excussorum.* Sunt aliquæ explicationes S. Hieron: quas omitto. Genebrardus ait, excussorum, propriè significare, piorum, vexatorum, exagitatorum quasi ventilatorum, & eorum qui concussi, & exagitati sunt, quos Deus variis tribulationibus probat; dicit ergo: Filii piorum qui vexati sunt, potentes erant, similes sagittis in manu validi; Veluti Deipara; quæ velut filia piorum Parentum, Joachimi, & Annæ, vel ut Dei filia, & sponsa, vexata infinitis adversitatibus, habet validas sagittas: vel ut in initio nascentis Ecclesiæ missi sunt Apostoli, quos Deus in mundum misit, ut eum subjugarent, potentior tamen MARIA, quæ, licèt illi post mortem Domini aufugerint, sola retinuit fidem ad resurrectionem integrè, & sic sagittis suis, & terram retinuit in obsequio Dei, & cælum aperuit, ut quasi vulneratus descenderit Christus. Applicari possunt verba sponsæ in Canticis: MARIÆ. *Pul-*
Cant, 4. *chriora sunt ubera tua vino:* Quare non lacte? magis enim uberibus convenit: non; quià mulier circumdabit nō puerum sed virum, cui vinum debetur.

Vi

Vinum quidem quod Noë expressit, ebrium eum reddidit quantitate, vinum quod Christus sumpsit, ebrium fecit charitate, ille se denudavit ad risum, hic ob excessum amoris. Vel vino meliora duo ubera, quæ sumpsit ex Matre Christus, cùm ex latere exivit aqua & sangvis; nam vinum mutatur post cōsecrationem sacrificantis in sangvinem. Insuper tam fortis MARIA, ut liget manus Deo. Dicet aliquis S. Petri hoc munus proprium est, promittente Christo *Quodcunq; ligaveris super terrā, erit ligatum & in cœlis.* Matth. 16. Ità est: quod propter commissa peccata, ligat potestate concessa Petrus, MARIA ligat propter gratiam consequendam, & pœnam remittendam. Usurpare potest S. Pauli verba securè *Omnia possum in eo qui me confortat:* Philip. 4. Et ego vicissim, omnia possum in eo quem conforto lacte, & vinculis charitatis vincio, sagittisque amoris vulnero. Debellavit Diabolum MARIA. De Leone affirmatur: *Leo fortissimus bestiarum, ad nullius pavebit occursum.* Ad multorum tamen Sanctorum conspectum Leones Prov. 30. timuerunt. Danielem non sunt ausi tangere; Verùm Leo ille, qui circumit

quæ-

quærens quem devoret, timet MARIAM. In conceptione immaculata ejus, occurrit salutaturus; aut potiùs infecturus, sagitta peccati originalis, fortiter repulsus exhorruit; ad Præsentationem trimulæ ætatis obstupuit, ad Incarnationis mysterium expavit, ad Visitationis humilitatem, ex aliena aufugit domo, ad purificationis munditiem, præ pudore sese abscondit, tandem resumpsit animum, sub passione Filii maceravit dolore MARIAM, voluit vel interficere, vel debilem reddere, aut terræ allidere, & terrere: non successit fraudulentus ausus, fortis ut mors dilectio, potiùs fortior morte, victoriam obtinente dilectione. S. Joannes describit. *Stabat autem juxta crucem Mater ejus.* Certè, verè stabat, (ut cum Drexelio dicam) MARIA eo tempore, quo omnia ruere videbantur, corruit ad arborem Adam, stetit MARIA ad Crucem, primores Martyrum Apostoli corruerunt, stetit MARIA, sol extingui, sidera emori, montes cadere, terra deficere, totum tunc cœlum videbatur ruere, stetit MARIA, omnia irati numinis manu fulminari credebantur, stetit MARIA: Virgineo

Joan. 19.

gineo

gineo pectori hærebat gladius, & torquebat, & tamen ſtetit MARIA. Stantis in cælo ſolis, maximum olim prodigium fuit, majus hic Matris, juxta patibulum ſtantis, cui fixus pendebat filius. Potuit uſurpare Virgo ſanctiſſima dictum Veſpaſiani: *Imperatorem oportet ſtantem mori.* Ego addo & Imperatricem cæli, debuiſſe tum ſtantem mori, verè enim fuit Imperatrix MARIA, duplici Corona, & bicipitis aquilæ ſtemmate decorata, Chriſto & Joanne, uterque aquila. Dominus tanquam aquila, provocans pullos ſuos ad volandum, & Joannes aquilæ, inter quatuor animalia comparatus. confuſus ergo Diabolus abiit triſtis; victoriam quam adepta eſt, congratulatur Salomon Deiparæ: *Fortitudo & decor veſtimentum ejus, & ridebit in die noviſſimo.* Proverb. 31. Poſt victoriam: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Pſalm. 44. Sed quomodo veſtimentum fortitudo? à filio mutuata Mater; *Dominus regnavit decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinē, & præcinxit ſe.* Pſal. 29. Induit ergo & Matrem fortitudine. *Mulier amicta ſole.* Certè Apocal. 12. non Naturali, at ſupernaturali potiùs,

& ſi-

& ſicut bis indutus eſt Dominus, ſic & illam induit duplici veſtimento, fortitudinis ſcilicet gratiâ; & gloriâ. addidit Salomon; Ridebit in die noviſſimo, videlicet, ſubſannabit in die judicii dæmonem, & mortem, & ſic libram tenendo in manu, ſagittarios evehet ad cælum, Scorpiones verò morſu æterno rodendos, in infernum detrudet. Reſtat adhuc, quomodo de ſe ipſa MARIA triumphum reportarit, Ariſtotelis axioma: *Ii maximè fortes dicuntur, qui quod triſtia pro Virtute tolerare norunt*: Platonis ſententia idem confirmat. *Fortitudinem ſummam eſſe, mortem non timere, major enim fortitudo eſt, ubi periculum majus, cum difficiliùs ſit, & acerbiùs mortem oppetere, quàm alium occidere.* Titus Livius comparat Camillum ducem ſtrenuum, cum Mutio Scævola, uterque Patriam liberavit ab hoſtibus; Camillus expulit Gallos, jam Capitolium aſcendentes, Scævola dum manu aberraſſet, & alium, loco Porſenæ Regis interfeciſſet, eam appoſuit igni errantem, & punivit Vulcano, donec in cinerem redigeretur volens: concluſum Romanis, à Scævola

Ariſtot.

ſuper-

superatum esse Camillum, qui solus perfecit, quod ille cum exercitu integro, vix ausus fuit, adiutus auxilio Anserum. MARIA victrix sui maxima, Patiendo, & aggrediendo fortia, superavit se, patiendo voluntariè cum Filio, timorem repellendo & Judæorum, & omnium qui tunc hostes erant, immo quærendo, & optando mortem (ut fortes propter virtutem) illa magis propter ipsum Deum, & Filium simul, non tantùm manus læsa, sed cor in cinerem contritione redactum fuit; Verùm & manus, & brachia, quæ duo sunt, *Osseū* & *Ferreum*, idem sunt experta; *Osseum* cùm videret, ex osse, & carne sua assumpta, Deum hæc pati, & nec mori nec detestari, stabat ibi non murmurans, neminem accusans, non coquens vindictam, nec verbo providentiam DEI proscindens, nec minimum impatientiæ signum monstrans, tanquam si sensum & ossa viva non haberet; *Ferreum* quo Virgo longè fortissima, ferro doloris undique circumcincta, superavit aculeos inferni: vivens enim moriebatur, & moriens tamen vivebat. Repræsentabat uno verbo fortitudinis constantiam, quam Prisci fingebant in rupe

rupe ſtantem, Marinis fluctibus ad rupem allidentibus, cum inſcriptione *Eadem ſum ſemper*; Talis fuit MARIA. Jam exempla etiam tria, ad fortitudinis gloriam oſtendendam depromamus. E ſeptem Africanis martyribus, qui ad Regem Agarenorum è carcere producti, fortiſſimè locuti ſunt, præcipuͤ fuit Daniel. Hic ingenti animo aiebat. *Ure, tunde, lania, idola tua non adorabimus, quo magis nos affligis, eò digniores vitâ æternâ efficis, tua ſævitia noſtra eſt gloria, ejecti è terra, in cœlum admittimur, mortem evadit nemo, pro Chriſto mori nos omnes parati ſumus.* S. Joanicius impugnabatur ab impuris cogitationibus, quin cum è virgine quadam eas proſcripſiſſet, eisdem autem ſe obſeſſum animadvertiſſet, ita ab his abhorruit, ut non dubitarit, recta ad Draconem tendere, prædamque ſe illi (ſi Deo placuiſſet) devorandam objicere. Claudat caput D. Theophanes: hic coactus à parentibus, cum nuptias effugere non poſſet, & Hymenæus in thalamum penetrare vellet, clauſas fores, ſtratumque non ſibi, at virginitati invenit. Graviter id tulis Socer, ut qui dulce nepotis adamarat nomen, igitur velut

Ex Metaphr.

Ex Surio.

velut degenerem à patria virtute apud Leonem Imperatorem ignaviæ accusat Theophanem, idem ergo ni vestigiis majorum insistat, oculos se effossurum minitatus, utque vinctum mundo teneret novis auxit honoribus, mortuo vero Leone alteri successori Leoni Iconomacho fortiter se opposuit, & Synodo Nicenæ interfuit, ac magna pars fuit, neque hunc virum, aut carceris obsidione, aut fame longa expugnare potuit. Victor ergo ille in cælum subiit, duxitque in triumpho, duo magna monstra Leones duos. Magis Victor nostra MARIA, quæ duos Leones superavit, unum amore illius, alterum timore sui; rectè itaq; gemma, velut stella non errans, sed fortiter fixa micat in Corona Reginæ cæli, novo semper genere fortitudinis subsannans inimicos Dei proprios, & nostros.

Cap. IX.

De nona stella misericordiæ in Corona Reginæ cæli.

DEbellare superbos est fortitudinis, parcere subjectis est miseri-

cor-

cordiæ, ſequatur ergo miſericordia,
quæ in Deo & MARIA conſiderata,
eſt incomprehenſibilis, nam magis e-
lucet erga nos miſericordia, quàm ali
beneficia & dona Dei. Hujus ſenten-
tiæ & Rex fuit pænitens: *Miſeration*
Pſalm. 144. *ejus ſuper omnia opera ejus*; ad nos e-
nim miſericordia Dei tanquam miſe-
ros pertinet. Bonum omne eſt ama-
bile in ſe, ſed unicuique proprium, u
Philoſophus docet: Verùm cum à
miſericorde Deo veniam criminum
obtinemus, non ſolùm bonum DE
declaratur, at ſimul & noſtrum; D
enim miſericordia efficit ut mala no-
ſtra curentur, & univerſa ad nos bon
proveniant. Benè equidem aſſerit
Pſalm. 100. David: *Miſericordiam & judicium can-*
tabo tibi Domine. Magis tamen in ho
mundo prævalet miſericordia, & in o-
mnibus Pſalmis ejus, juſtitiæ nome
viginti octo vicibus numeratur, miſeri-
cordia centū viginti cantatur. Sic erg
dividuntur inter ſe, miſericordia cæl
Juſtitia in inferno, utraq; in mundo a-
ternatâ facie nectūt vitā hominis, præ-
dominante nihilominus miſericordi
Objiciet aliquis: eſt etiam juſtitia
Pſalm. 84. cœlo: *Juſtitia de cœlo proſpexit.* A
di

ditur statim. *Veritas de terra orta est.* Quando peccata nostra, veritas quæ odium parit, de terra justitiæ, in cœlū vult deferre, tum prospicit justitia, quia à longe parva apparet, ideò vix illam esse putamus, interim misericordia occurrit, idcirco subjungit idem, *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi.* Psalm. 84. Et iterum cogit redire veritatem in terram: descendit semel Justitia de cœlo, quando *Verbum caro factum est*: Joan, 1. quia in Deo essentialiter est, tamen, tam parva justitia erat, ut in æterno misericordiæ se occultarit; hinc non vocatur MARIA Mater justitiæ sed misericordiæ; & quia in inferno non est misericordia, non appellatur Regina inferni, tantùm cæli & terræ, Mater horum, illius noverca; Et sicut provincia aliqua rebellis, in pænam amittit Regium titulum, & dantur gubernatores crudeles, qui castigent & in officio contineant subditos; sic infernus Lucifero & ejus asseclis concessus, nulla potest ibi sperari misericordia, tantùm justitia: *sicut oves in inferno positi, mors depascet eos.* Psalm. 48. Justitiæ decreto, ex cælo tantùm prospicit justitia, gerit se ad peccatorem DEUS tan-

quam

quam erga filium Pater Severus, MARIA tanquam clemens Mater, sæpè veniam impetrat; quando autem incorrigibilis remanet, & Mater cessat tunc intercedere, & sic hæreditate excluditur & punitur. Verum quid est
Psalm. 84. quod Rex notat ibidem. *Justitia & pax osculatæ sunt.* Quando? in adventu Christi in mundum; in Nativitate. Deus natus, filius æterni Patris,
Psalm. 71. Psalmus canit. *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis.* Fuit ergo justitiâ cum Christo, fuit & pax, non tantum jussu Augusti, sed & jussu Dei: quia verò infans loqui non potuit, Angeli erant Referendarii, canebant *Gloria in altissimis Deo*: pro ju-
Luc. 2. stitia, & *Pax in terra hominibus*, pro misericordia: ecce unum osculum. Quando vero Redemptor in cæna sermone longo discipulos detinuit, justitiam ostendit, reprehendendo cupiditatem dominandi inter illos, pax simul
Joan. 14. adfuit, *Pacem relinquo vobis, pacem meā do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Ecce alterum osculum: In horto fuit Justitia, cum traderetur inimicis Christus, fuit & pax, cùm Judæ osculum exciperet, quia passionis signum,

gnum,& misericordiæ fuit symbolum terribile illud osculum, pax post resurrectionem annunciata Discipulis, justitia de incredulitate reprehendit eosdem, justitiâ exigente, viderunt euntem in cœlum Dominum, misericordiam remanentem in terris, senserunt accepto Spiritu S. Itaque misericordia largius effudit se Dei in homines, justitia exigua conspicitur, quia illa ex utero misericordiæ exivit, hæc in cœlo se abscondit, MARIA pariendo Deum justitiam commutavit in misericordiam; & hac de causa homo factus Deus miserias nostras suscepit, ut misereri disceret, edoctus experientiâ miserias: sicut ergo vocatur Deus Pater misericordiæ, sic MARIA, Mater misericordiæ, quæ post filiũ toto vitæ tẽpore experta est maximas miserias, ita ut in passione pro summa æstimarit miseria, non potuisse filio commori; misericordia ergo regnat in mundo, justitia tantùm ambulat. *Justitia ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos.* Psalm. 84. Verum quidem est, neminem tantum passum ut Christum, & propterea de illo sonant ista verba psalmi: Terribiliter enim ambulavit, ad Annam, Caipham, Pila-

rum, Herodem, & crucem, sequebatur, semper eum Mater, plus nihilominus fuit misericordiæ quàm justitiæ. Dicet aliquis ubi tum fuit misericordia, nam sanguinei gressus nonne justitiam denotant? Ita quidem est: sed ante cum ambulavit Patris justitia, ipse verò Christus misericordiam portavit, videlicet Crucem, quæ magis impulit Patrem ad misericordiam, deinde in cruce quid exercuit magis Deus quàm misericordiam? quatuor clavi qui detinebant manus & pedes erant clavi misericordiæ. Primus *Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt*. Secundus *Hodie mecum eris in paradiso*. Tertius *Mulier ecce filius tuus*. Ut appellaretur etiam post mortē Filii Mater misericordiæ, filius alter Joannes, ex misericordia ei traditus fuit. Quartus. *Percutientes pectora sua revertebantur*. multi, propter obtentam misericordiam; Quid magis adhuc? post mortem Christi cessavit justitia, misericordia inaudita continuavit effectum, dum Longinus aperuisset lanceâ latus, quis nō sperasset justitiam subsecuturam, cum in mortuum corpus desæviret ferro? Aliter factum, potius misericordia, & cæcum

Luc 23. Ibidem Joan. 19. Luc, 23.

oc-

oculum aperuit, & internum, agnoscendo verum Messiam, sanavit. Exivit ergo sangvis & aqua è latere, ut duplicem misericordiam hominibus declararet, & sangvinem justitiæ aqua mitigaret misericordiæ, & in hoc mundo & in altero sæculo. Testes hujus gratiæ fuére MARIA Mater misericordiæ, & Joannes filius misericordiæ. Cum verò misericordia appareat ergà miseros, qui sunt pauperes, commendavit illos Christus dicendo *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*; & in judicio cum nulla re strictius quam cum misericordia certabit cum electis, & reprobis, propterea que multos pauperes reliquit, ut misericordiam facilè quisque miseris impertiri posset, executores autem justitiæ scilicet Carnifices paucos, non volendo mortem peccatoris. Sub cruce itaque stabat Mater misericordiæ, quasi triumphans, quòd misericordia justitiam superasset, & nunc magis laudant boni & mali misericordiam, quàm justitiam, axioma quoque legis est. *Melius est nocentem absoluere, quàm innocentem damnare.* Considerandum adhuc est in duobus actibus, quomodo miseri- Matth, 25.

cordia prævaluerit justitiæ vivente filio, præsente verò matre misericordiæ. In templo invento amisso filio, dixit Mater *Ecce Pater tuus & ego, dolentes*
Luc. 2. *quærebamus te* Respondit. *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?* Sequitur, *Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.* Mirabile reprehendit illos quasi ex justitia, allegando se habere alium Patrem, cujus mandata exequi debet, & hoc licet apertè dixerit, tamen non intellexerunt verbum, ex justitia modeste prolatum,
Luc. 2. subsecuta statim misericordia: *Et descendit cum eis & venit Nazareth: & erat subditus illis.* Justitia verò disparuit. In Cana Galileæ dixit Mater mi-
Joan. 2. sericordiæ miserta defectum. *Vinum non habent*, filius replicuit, *Quid tibi & mihi est mulier? nondum venit hora mea.* Ex justitia quasi noluit convertere aquam in vinum, propter horam quæ nondum venerat, misericordia verò propter Matrem misericordiæ, horologium liberalitatis Divinæ accelerando anticipare fecit horã, & quod justitia omnino denegare videbatur, misericordia cum admiratione convi-

ya-

varum, optimũ vinũ hoſpitibus propinavit. Et nunc in cælo quis miſericordiam impetrat niſi Mater miſericordiæ? cujus & in terra & in purgatorio infinita ſunt exempla: Duo maximè miſericordiâ implent terram, & purgatorium, interceſſio Deiparæ, & victimæ Chriſti memoria. Quare? quia licèt dixerit Salvator *Miſericordiam volo & nõ ſacrificium* tamen miſericordia cum ſit cauſa paſſionis, paſſio verò ſacrificii, ſacrificium neceſſario eſt renovatio miſericordiæ. Et ſicut miſericordia Deum detraxit è cælo, atque mortalitatis ſacco induit, ſic etiam poteſt hominem in cælum attrahere. MARIA, ergo poſt Deum prima, ſuâ miſericordiâ promovet mortales ad cælum. Referam S. Bernard. teſtimonium. *Sileat* (inquit) *miſericordiam tuam Virgo Beata, ſi quis eſt, qui invocatam te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe.* Et infra. *Laudamus Virginitatem, humilitatem miramur, ſed miſericordia miſeris ſapit dulcius* adhuc inferius *Ad hunc igitur fontem ſitibunda properet anima noſtra, ad hunc miſericordiæ cumulum tota ſollicitudine miſeria noſtra recurrat.* In ſtabilimentum miſericordiæ tria propo-

Matth. 12.

De Aſſump. B.V.

namus lectori exempla. In S. Carpo videamus Dei misericordiam; comperêrat Christianæ militiæ Tyronem, ad deserenda crucis signa à Dæmonis cultore esse inductum, quâ injuriâ ita est exacerbatus, ut illum orco devoverit, quod mediocri supplicio vindicari non posset, persuasum habebat & gestiebat animo cum dehiscente terrâ, inferni ignis fumum, ferri in os, & in præcipitio stantem prope & ruentem aspiceret, impulsurus etiam si copia fuisset: subinde cæpit aperiri cœlum, & Salvator se offerre conspicuum, hortarique Carpum, si ita ei videretur ageret præcipitem, pro quo suum sangvinem sudisset, se velle potiùs manum porrigere perituro, quod si necesse foret, non detrectaturum redire, ad initium miseriarum, quibus in cruce moriens finem fecit? O admiranda misericordia! Sequitur in S. Justo misericordia conspicua ergà Parentem & Fratrem. Justinianus illius frater in vinculis agebat, Justus persuadet patri ut fratrem è servitute eriperet; venitur ergo Ambianum ad locum captivitatis, & licèt fratrem nunquam vidisset, amor agnovit: sic educitur; in reditu domum, equites fu-

Ex Dion. Areop in Patric.

Ex Surio.

fugientes perseqvuntur, Justus post-
quam spelæo utrumque abscondisset,
obuius ivit exploratoribus, hi mortem
intentant, ni comites prodat, negat ille
didicisse se Parentes prodere, & suũ ca-
put pro libertate fratris objecit, crude-
liter ergo mactatur: verùm ecce trun-
cus Martyris suis ipse manibus caput
amplexus, humo attollit: diffugiunt
monstro perculsi equites, & ad tristem
aspectum exclamat pater, cum fratre,
solatur eos verò Justus: nempe se offi-
cium misericordiæ fecisse, vitam patri
reddidisse, fratremque à morte liberas-
se; tum caput offert matrique ut fe-
rant tumulandum rogat, id cum factum
est, tanto lumine ædes maternas com-
plevit, ut lux sua etiam oculis cæcæ
puellæ rediret. In S. Martiniano erga
pauperes misericordia invitat ad se- Ex Metaph, apud Suriũ.
quelam. Quotidie foras prodiit, ple-
nam manum crumena circumtulit, cum
vacuum nullum inopem à se passus abi-
re permiserit; veste quam diu vixerat
non nisi unica semper usus, hac etiam
cum nulli ad manum nummi essent se
exuit, & egenum induit, at divite lucro:
quippe qui deinde cum seminudus pro
ara, divinum cibum in populum parti-

 retur,

retur, aureâ palam à cœlo veste ornari visus est, ut plane jam quæstum quæsivisse, & pro paupere toga meliorem ambiisse videri possit, hærebat illi S. Petri Chrisologi judicium de misericordia. *Manducat Deus in cælo panem, quē percipit pauper in terra, da ergo panem, da potum, da vestimentum, da lectum, si Deum debitorem, non Judicem vis habere, nihil nobis nocebit in terra, si nobis in cælo misericordia sit patrona:* maximè si Matris misericordiæ accedet suffragiū, quæ tanquam columba egressa, ex sacra Arca, utero scilicet Sanctissimæ Annæ suæ Matris, & nullibi figens pedem in immundo peccato, regressa est ad arcam æternæ glorificationis, ubi velut alter Noe Deus, extendit manum gloriæ suæ; eademque coronavit ramo Olivæ virentibus foliis, quam in gemmam immutavit, nam si S. Ethbino contigit, cum leprosi saniem ore se sperat excipere, gemmam speciosam, mutatâ repente rerum facie eduxit; multò magis artifex supremus, olivæ ramum in gemmam, & misericordiæ stellam convertit, coronæque imposuit quæ toti præluceat æternitati.

Ex Surio.

CAP.

CAP. X.

De decima stella modestiæ in Corona Reginæ cæli.

MIsericordiæ opera, modestiæ medio facta, magis sunt grata Deo; itaque quomodo sit commendabilis virtus, ipse Salvator dicit. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Math. 6. Immodesti, tacere non assueti, modesti lubentes silent cum S. Gregorio. *Sic autē sit opus in publico, quàtenus intentio maneat in occulto, ut & de bono opere, proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem semper optemus secretum.* Homil. 11. in Evang. Habet enim germanas sorores modestia, videlicet Verecundiam, Pudicitiam, Tranquillitatem animi, habet & inimicas, utpote immodestiam, Inverecundiam, Immunditiem, Commotionem animi: & sicut album magis nitet dum nigro jungitur; sic modestia clarior apparet, dum excitatur per antipathiam. In Cant. Canticorum sponsa laudatur: *Pulchræ sunt genæ tuæ cut turturis.* Cant. 4. Turtur secundum Bernardum avis pudica, unico fertur contenta manere compare præ verecundia, genæ

ergo debent esse verecundæ, cum & à natura sit factum, ut in medio sensuum sint sitæ, quibus in modestiam peccatur, ut corrigat verecundia factum, & publicet delictum; Oculi, aures, nares os, vicinæ sunt, nec longè manus, quibus offenditur modestia, qui ergo hanc virtutem amat, naturaliter instruitur, ut oculos claudat, & ad terram declinet, aures occludat, nares comprimat, ori silentiũ imponat, manus ab illicitis abstrahat. Sunt multa hujus rei exempla.
Ex Metaph. B. Ephrem, cum à fæmina, castitati insidias struente sollicitaretur, piè callidus, non difficilem se forè assimulavit, si in frequenti foro facinus patrare vellet, erubuit quamvis impudens prostibulum, &, an inquit in oculis omnium peccare non vereberis? tum Sanctus, Et tu adeò frontem exues, & ubi ubi fueris, illum omnia videntem cœli oculum non exhorresces? Et B. Aloysius Gonzaga Soc. Jesu Imperatricem, quam tribus annis quotidiè adibat, nunquam aspexit. Auditum D. V. abstulit
Ex Veg. Ceg. S. Franc: Senensi, ut surdis auribus præteriret calumniantes, magis obscænas cantilenas versantes. Nares S. Ignatius Fundator Soc. Jesu, comprimebat, cùm dice-

diceret: *quàm sordet mihi terra cùm cœlum aspicio.* S. Bernardus pro tormento computarat, cum ad cibum capiendum invitaretur. S. Epiphanius non tantùm ab illicito tactu, vivens abhorrebat, sed cum jam exanimis jaceret, improbum hominem, nudum corpus tangere tentantem, calce à se repulit, verecundiam tactus, etiam post mortem retinens. Quid dicemus de nostra Magistra modestiæ & verecundiæ MARIA? melius quàm ego, proponant aliqui Doctores. S. Ambros. de illa. *Verecunda sermone arbitrum mentis solita non hominem, sed Deū quærere, quando ista vel vultu læsit Parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? eos solos solita virorum cœtus invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia; Primus est pudor, qui in ipso cognitionis ingressu, Domini Matrem commendat legentibus, & tanquam testis locuples dignam quæ ad tale munus eligeretur adstruit, quòd in cubiculo, quòd sola, quod salutata ab Angelo, tacet, & mota est in introitu ejus, quòd ad virilis sexus speciem peregrinam, turbatur aspe-*

Ex Metaph.

Lib. 2. de Virgin.

l. 1. c. 18.

ctus Virginis, *itaq; quamvis esset humilis*, *præverecundia tamen non resalutavit* & inferius *Nibil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil inverecundum*, *non gestus fractior*, *non vox petulantior ut ipsa species corporis*, *simulacrum fuerit mentis*, *figura probitatis*. Simile judicium de ea S. Damasceni. *Honestus* inquit, *Vestitus, mollitiem omnem ac luxum fugiens gressus sedatus*, *atq; ab omni levitate remotus, mores severi, hilaritate temperati, & quod maximè mirandum, senilis in juvenili corpore prudentia*. Succedat S. Nicephorus, cujus verba, *loquebatur Deipara sine audacia*, *sine risu, sine perturbatione fastus omnis expers*, *simplex*, & *humilitatem præcellentem colens*. S. Chrysostomus concludat *Si alia* (inquit) *fuisset melior eâ*, *foret electa*: *B. MARIA ultra omnem humanæ naturæ modum modestiam, ac temperantiam excoluit*, *non levis non jocosa*, *non cantatrix*, *quod si quæ virgo alia, majori modestia vel ampliori puritate*, *præter hanc ornata exstitisset eam sibi Dominus*, *præ hac ipsa in habitaculum delegisset*, Siracide calculo, *Gratia super gratiam est mulier sancta, & pudorata*. Si ergo Deus diligit mulierem verecundam & modestam,

Dam. in Orat. de Nat. Virg.

Hom. in Math. c. 1.

Eccles. 26.

ſtam, quomodo virginem non adamavit? immo ita eſt quia ex tali, homo Deus naſci voluit. Modeſtia in triplici ſtatu maximè conſpicua eſt; in Virginibus, uti dictum eſt; in Religioſis: ut mores concordent cum habitu, nam veſtis modeſta illibenter corpori aptatur non verecundo. In ſenibus, ut ætas, non hircorum ſaltus, verum greſſus, annis ſimiles præſeferat. Potiſſimum autem declaratur modeſtia in caſibus ſibi contrariis quando læditur. In idea modeſtiæ Chriſto Domino noſtro apparuit, & in MARIA, quæ proxima uti Mater filio idem paſſa. Salvator variè appellabatur, vorax, quod haberet dæmonium, quod in Beelzebub ejiceret dæmonia, ad hoc non reſpondit, & in paſſione interrogatus vix brevi reſponſo Pilatum dimiſit; cum flagellaretur, coronaretur, decreto condemnaretur, nulla vox audita; Quando alapâ ferreâ percuſſus eſt; tum primum interrogatus replicuit. *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem benè quid me cædis?* Joan. 18. Puto quatuor de cauſis reſponſum datum, vel ut gravitatem pudoris oſtenderet, coactus fuit injuriam illatam verbo li-

set modestissimo ulcisci; vel ut sensus omnes, quibus peccatur contra verecundiam conjungeret simul, videlicet tactum per manum; nam alii sensus propiores sunt faciei, vel ut doceret læsam verecundiam, verbis posse reprimi, vel ut ad oculum proponeret, verecundiam offensam verbo quasi ferro cruentari, ideo ferrea alapa Christo impressa: sicut enim pro omnibus delictis, varia tormenta in variis suscipit membris, ita inverecundorum maculas, sanguinea percussione in facie, apud Deum excusando, ab inverecundo & ingrato homine suscepit alapam. In horto cum Judas spurio osculo faciei suæ appropinquasset, ad titulum; *Ave Rabbi:* respondit: *Amice*
Matth, 26, *ad quid venisti?* Traditorem amicum vocat modestia: & aliud verbum sub-
Matth, 26. intulit; *Osculo filium hominis tradis?* volendo innuere, non rectè Judam esse locutum; duo enim tituli maximè placebant Christo, DEI, & Filij hominis, Judas Magistrum vocat, ut se ipsum confunderet; à discolo discipulo voluit taliter nominari. Imitata fuit Mater filium, nunquam locuta est nec respondit, nisi quando necessitas adfuit

vir-

virtutem aliquam prodendi, & hoc cum summa modestia: Ad salutationem Angeli cum conturbaretur, replicuit, ut castitatem non celaret; *Ecce Ancilla Domini*: ut humilitatem internam explicaret. In templo, ut dolorem charitativum manifestaret de filio amisso: In Cana Galileæ; ut misericordiam aperiret. In Cantico suo: ut Dei beneficia decantaret; ideo longiori prosecuta fuit textu: quando ante fores expectabat, abiit silens; alias pro modestia tacebat. In passione nullum sonum vox illius edidit, nullum verbum elocuta est, & quia parcissima in verbis fuerat, ea de causa, unicum, *Verbum æternum* generare ei Deus Pater concessit. Recte ergo priscorum metro scribitur: *Modestiam esse coronam Virtutum omnium.* Modestia verò declaratur, cum quis oculos in terram, cor in cælum defigere solet, idcirco oculis MARIA in terram detraxit Christum, ut illam videret, & in cælo cor figendo, uterum implevit Domino cæli; potest rectè applicari D. V. Quod Deo S. Propheta: *Quoniã tu Domine suavis & mitis*: & de se ipso Salvator *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*.

Luc. 1. Psal. 85. Matth. 5.

Cer-

Certè nos de Deipara idem dicamus: Quoniam tu MARIA suavis,& mitis: instrue nos ut simus mites,& humiles. In psalmo legitur: *Memento Domine*
Psal.131. *David, & omnis mansuetudinis ejus* similiter & nos repetamus; Memento Domine MARIÆ, & omnis mansuetudinis ejus,ac per ejus Modestiam,petulantiam nostram coerce. Didicit à MARIA modestiam S. Ubaldus Episcopus Eugubii,qui cum in tumultu, ab ultimæ sortis homine, suo cæmento in calcis corbem dejectus fuisset,non tam cæno, quàm ignominiá aspersus, licet
Ex Bre. Rom. cives vel urbe exigere. vel ædes improbi demoliri molirentur, non permisit, sed dixit graviori supplicio luiturum, sedensq; pro tribunali,inaudito decreto, damnat reum, ad osculum. Simile quid de S. Benone scribitur: is cum à
Ex Nic. Emsero, Marchione Misniæ alapam accepisset, nihil locutus,tantùm doluit quod Deus id vindicaret: prædixit enim hoc die, anno vertente quo alapâ percussus est, moriturum Marchionem. & vatem fuisse virum, mors minimè mendax
Ex Meneis, ostendit. Colophonem imponat discursui de Modestia, nomine & re S. Modestus,qui cum nobiles cunas Christia-

ſtianas, carcerem habuiſſet, in quo Pater quinque à partu menſibus mortuus, hæreditatem opulentam, vincula ſcilicet poſt ſe reliquiſſet, acceſſit ille ad fidem, & cum malum genium, à cive, & à ſorore Heri ſui, cui ſerviebat, morbum depuliſſet, hæredem Modeſtum, cum aliis ſuis liberis inſcripſit; illi autem Ægyptio homini adoleſcentem vendiderunt, ne parte hæreditatis cederent: itaq; in ſervitute ſeptem annis laborans, dominum è ſervitute etiam Deorum eripuit, & libertus Solimas adiit, poſtea ad dignitatem Patriarchatus evectus, peregrinantes hoſpitio eos, qui eum ſervituti manciparant peramanter excepit, & injuriam modeſtiâ, ac hoſpitalitate ultus eſt. Quis non extollet modeſtiam? quæ ultima retrahere ſolet à peccato mortales? Verùm in MARIA excelluit ſupra modum modeſtia, nam in conceptione immaculata receſſit à peccato, quaſi anteambulone uſa verecundia, illum enim concipere & generare debuit, qui modeſtiâ & verecundiâ neceſſario eſt præditus, ſimilem ſibi Matrem elegit, imitandâ in mundo æternitate, quæ à conceptione incipit, & ultimo habitu

eva-

evanescit: si ergo daretur æternitas in mundo virtutum, prima possessio MARIÆ foret. Modeste ergo nos inclinemus, & in corona positam virtutis modestiæ stellam cum tribus Regibus suppliciter adoremus, nunc meditatione & desiderio, ut illam reipsa intueri æternum in capite Reginæ MARIÆ possimus.

CAP. XI.

De undecima stella charitatis in Corona Reginæ cæli.

OMnes prænominatas virtutes, virtute in se continet charitas, & licet videatur esse aliquando immodesta, & inverecunda oculis humanis, modestissima & verecunda tamen oculis Divinis judicatur. S. August. immodestiam fortè ostendit, dicendo: Si ego essem Deus, & tu Domine Augustinus, ego te facerem Deum, & me Augustinum. Apparet ex parte immodestia, quia neutrum potuit fieri. S. Franciscus coram Episcopo denudat se, inverecundiæ id adscriberetur, nisi charitas utrumq; commendaret, quia Sponsa asserit, quòd Sponsus in ea ordinaverit charitatem;

Mirabilis ordinatio: multas res per alios Deus ordinavit, uti in veteri testamento, per Angelos Moysen admonuit, per eundem punivit Pharaonem, per Noë de diluvio significat, Judam patibulo proprio punivit. per Diabolum, Job afflixit; per accusatorem fratrum: quando voluit charitatem ostendere, ipsemet venit in mundum, apportavit in uterum MARIÆ charitatem; & quia parvulus datus est nobis, in parvum mundum, & vere ab omni peccato mundum, uterum scilicet Matris intravit. Doctorem Gentium quando charitate, qui de ea multum scripsit, postea, imbuere voluit, ipsemet de cælo descendit Deus. Hoc admirandum: charitatem male tractare suos in mundo: Christum dejecit in horto in terram, & humiliavit, ut de eo S. Paulus: *Humiliavit semet ipsum usque ad mortem, mortem autem crucis.* Dejecit in terram MARIAM & humiliavit, cum de honore ipsius, etiam Sponsus dubitaret, cum in montana currere, & inservire Elisabethæ jussisset. De humiliatione ipsa fatetur, *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Dejecit in terram Paulum, ex equo, & humiliavit,

Cant. 2.

Phil. 2.

Luc. 2.

1.Cor,15. vit,teste ipsomet sancto *Ego autem sum minimus Apostolorũ, qui non sum dignus vocari Apostolus ; quia persecutus sum Ecclesiam Dei.* Licet ergo charitas Christum deduxisset in cælum, & illud clausisset, nihilominus propter eandem charitatem, apertum fuit iterum cælum, oratione S. Stephani ; quia deprecatio pro inimicis & S. Paulo, charitativa, vim intulit cælo : postquam verò non fuit clausum, Christus facilè apertâ januâ ad Paulum venire potuit. Sed adhuc charitas, non tantùm malè suos tractat, sed & vulnerat : S. Bonavent: *Transfige, dulcissimè Domine JESU, medullas, & viscera animæ meæ, amoris tui vulnere*, & Verâ charitate : Quidam etiam sanctus rogat ; Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat anima mea, charitate tuâ vulnerata sum. Ausa etiam fuit charitas ipsum Salvatorem vulnerare, & adhuc ferro quatuor clavorum : & post mortem sæviebat latus Domini perforando : MARIÆ, (ut etiam Simeon prædixit) animā pertransivit gladius, qui tamen mori prohibuit ; nam charitas vicit dolores, quia amor ardens in illa, cupiebat videre, & resurgentem, & ascendentem in

cœ-

cælum filium, ideo mortem fugere coëgit. Paulum etiam, gladio charitas interfecit; & ut hoc palam ostenderetur, oleum tribus fontibus effluxit; quod est Symbolum charitatis. Etenim sicut oleum supernatat aquis, sic charitas; vel præ deliciis mundi, vel si placet eminet præ cæteris virtutibus, vel in cælo præfert, alios aliis collocatis in æternitate. Charitas etiam urit sicut ignis, potiùs verè ignis, ut ipse Salvator promittit. *Veni ignem mittere in terram.* Luc. 12. At ubi sunt ligna quibus fovetur? Ecce ipsemet Christus, Crucis lignum super humerum portavit, ideo magnus ignis accensus; *Et ego cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum:* Joan. 12. Habet enim secundùm Philosophos vim attractivam ignis, & ut nos participiaremus, in minutissimas particulas dividi jussit lignũ, ea de causa exiguos igniculos tantùm habem⁹nos, quia parũ ligni in divisione obtinuimus. Adhuc ut magis dilataretur ignis, ventilabrum Ventum excitans, gratia videlicet Spiritus Sancti, adhibitum est: Frigebat mundus, non erat ignis charitatis, & ipse Christus in Nativitate in se expertus frigus, ut vi-

de-

derent omnes qualem invenerit mundum. Frigebat S. Petrus in passione Domini, per præ sumptionem & negationem, charitas invenit modum, quo calefieret. Nam sicut aqua parum aspersa, fovet ignem, ita S. Petrus lacrymis, & viso charitatis igne in Christo, excitavit incendium, ac in tantum exarsit, ut pedibus qui fugerant in passione, in cruce superius affixus, capite inverso, quod fugere non valet, ore in terram demisso, quo negavit, ne commode loqui posset, deprecatus sit charitatem. Charitas spoliat etiam. Adam cum Eva, conjuncti charitate ante peccatum, nudi erant, postquam autem serpens, quod animal est frigidum, infecit illos. gelu maximò, coacti fuerũt vestes aptare, & tegere nuditatem. S. Franc. nudus mortuus: S. Job nudus in sterquilinio exercebatur à charitate. Fieri enim solet, ut quando calor nimius torquet corpus, vestes deponantur; quia calor dissipatur, & sic implet ardore suo membra: charitas totum hominem occupat, & sic nudum relinquit; quia & fons charitatis Christus, in Cruce nudus pependit: Post mortem verò vestit charitas duplici veste

suos.

suos. Hoc Salomon insinuare videtur. *Omnes domestici ejus*, id est charitatis, *Vestiti sunt duplicibus*: domesticos Paulus appellat, quos nisi Sanctos? *Jam non estis hospites, & advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei.* Et unam vestem describit charitatis: *Induimini Dominum JESUM Christum*: alteram S. Petrus; *Charitas operit multitudinem peccatorum.* MARIA non indigebat hac veste, quia nullum admisit peccatum, potius ipsamet duplicem aptavit vestem Christo, charitatis labore, unam mortalitatis in utero, alteram manibus propriis, quâ utebatur Dominus, & ut traditio fert, crescebat cum illo; vicissim à filio obtinuit vestem duplicem, gratiam, & gloriam scilicet majestatis suæ, unâ veste amicta sole, quis sol nisi filius Dei? aliâ etiam quam psaltes in spiritu vidit. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate*: Aurum autem esse charitatem, notum est omnibus. Alii sancti ornati etiam duplici veste, gratiæ, & gloriæ, verùm longe inferioribus, quàm MARIA, quæ omnibus virtutibus, superat omnes: ut de ea S. Bern; *Tu virtutum omnium speciosis ver-*

Proverb. 31. Ephes. 2. Rom 13. 1. Petr. 4. Psalm 44. Bernard.

vernas floribus, inter quos, pulcherrimos tres miramur in te, O excellentissima! hi sunt quorum odore, totam domum Domini reples, O MARIA viola humilitatis, lilium castitatis, rosa charitatis. Eandem charitatem commendat S. Damianus in MARIA: *Scio ô Domina, quia benignissima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te, filius tuus summâ dilectione dilexit.* Actuosus enim est amor semper, aut amor non est, qui in te nunquam otiabatur cuius occupatio, assidue circa charitatem versabatur, aut Dei, aut proximi, & quis proximior quàm filius, Deus & homo simul. Audebo de te dicere Domina mea; desiderabas tanto amore prosequi Deum, quanto ipse se ab æterno diligit, sed quia hoc non potuit esse: nulla enim creatura potest esse Deus; compensando ardorem tuum Deus, quasi sic affatus est te. Tu MARIA, Deus esse non potes, itaq; ego faciam, ut Deus fiat creatura, & in utero tuo assumat humanitatem, & sic nõ eris Deus, nec creator, verùm eris Mater Dei, & Creatoris. At quid ego de charitate præsumo tua, Domina, benefactrix mea scribere? S. Paulus inquit. *Si linguis*

quis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem autem, non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et ego, nec hominum, nec Angelorum, tuam ô Virgo comprehendam linguâ charitatem, tanquam æs sonabo, & prædicabo tantùm: Verùm benè dicis S. Paule, quia charitas nec hominum nec Angelorum voce infunditur, sed solius Dei tantùm, quam & tu expertus es, ad quam respondisti. *Domine quid me vis facere?* Dicet fortasse aliquis? voce Ananiæ, fidem, & charitatem edoctum Paulum, sed Ananias instructus fuit voce Dei, quomodò eũ instruere debebat? Peregrini ad Emaus euntes dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* Charitas potiùs postulat cor, quàm linguam, & ipse Paulus non explicat, quid viderit in cælo, conductrice, charitate, nisi per negativam. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se.* In MARIÆ verò cor ascendit Christus, quia cor ejus ex sanguine Matris, pleno charitate formatum fuit, propterea eadem litera prima;

1. Cor. 13

Act. 9.

Luc. 24.

1. Cor. 2.

F cor-

cordis & charitatis est; Figurat etiam Cor Trinitatis charitatem; elevatur enim duabus partibus eminendo æqualiter, ad instar Dei Patris, & Dei filii, tertia ex utraq; elevatione descendens dependet, quæ Deum Spiritum Sanctũ, incapaci nostro intellectui exponit. Corde ergo apprehenditur charitas;
Prov. 23. uti Sapiens dicit: *Præbe fili mi cor tuum mihi:* lingua tantùm est charitatis instrumentum, ut id quod intus latet, communicet exterius, propterea Chri-
Matt. 10. stus promittit suis. *Dabitur vobis in illa hora,* (videlicet cum charitatem erga me, morte & tormentis comprobabitis) *Quid loquamini non enim vos estis*
Matth. 20. *qui loquimini, sed Spiritus S. qui loquitur in vobis.* Omnino ergo fuit in MARIA, Dei locutio semper, nihil enim locuta est, in quo non contestaretur charitatem erga Deum, & proximum; dilexit illa omnia propter Deum, Deum autem propter se ipsum; amor enim verus omnibus bene utitur; amico ad benevolentiam, inimico ad patientiam, Deo ad gratitudinem, verùm MARIAM, non tantùm habuisse incomparabilem charitatem, quod magis, ipsam realem fuisse charitatem.

Deus secundûm Joannem est charitas, Pater ab æterno sibi genuit filium, qui etiam est charitas, MARIA etiam genuit tanquam hominem in tempore, Deum tamen, qui est charitas, Deus Pater, & filius, MARIA participativè: quia genuit charitatem: ergo est charitas. Charitas effecit ut Christus esset Rex cæli & terræ, quem titulum acquisivit sanguine ex MARIA sumpto, hunc effudit in passione, ut Deus, delendo culpam, ut homo, pænam exsolvendo. MARIAM etiam charitas, Reginam cæli, & terræ constituit, quia eduxit ex utero hominem, & Deum charitatem. Et licet S. Paulus ponat excellentes virtutes; *fidem*, *& spem*, Majorem tamen ponit *Charitatem*; quia & illæ duæ, non possunt esse virtutes absq; charitate; & quia *fides*, & *spes*, durant ad vitam tantûm, charitas, æternitatis socia, & præmiũ. Sancta ergo Sophia, ut exprimeret has virtutes, produxit filias tres, Fidem, Spem, charitatem: Tyrannus illis bellum movet: sed matre duce, & junctis copiis omnes vincunt. Charitas multos in cælo numerat sodales, solæ hæ, Fides, & spes, in cælum comitatæ sunt Charitatem I.Cor. 13

 soro-

Ex Surio. sororē suam, & filiam Matris Sophiæ, dum variis tortæ tormentis, nomine & re evectæ sunt ad conspectū Charitatis Dei,& MARIÆ. Joachimus Confessor,tantus fuit cultor charitatis erga Deum, & proximum, ut cum versus Arretium tenderet, obviumq; habuisset, qui Epilepsiâ, multò autem magis impatientiâ laborabat, Sanctus noster, bis,consilio,operâ suâ solatur, cum tamen jam gravius animo, quàm corpore periclitaretur, Joachimus post preces Deo fusas, in se novus medicus morbum omnem transfert; igitur Arretii ipso Dominæ Assumptæ die,dum

Ex Ferr. sacrificanti servit, cereumq; elatæ in sublime eucharistiæ manu præfert,cadit morbo impellente, cereus tamen stationem in medio aëre servat; gaudente utiq; Angelo, se in hominis officium potuisse involare: iterū postea Senis, eandem vim morbi expertus, mensam secum instructam traxit, nihil tamen fractum,nihil confusum. Obiit cum illa verba socii legerent. *Et incli-*

Joan. 19. *nato capite tradidit spiritum.* Post mortem,à tali medico Epileptici quæsiverunt medicinam, & invenerunt. S. Ra-

Ex surio. degundis Regina, charitate compassio-

sionis accensa Christi, quam charitas subministravit, manum armat, æneam candentemq́; plus à suis, quàm alienis ignibus effigiem Redemptoris corpori inuri, dum cordi cupit. Falleris ô Radegundis, si animo insculptam non dum credis, inde prototypon manus sunt mutuatæ. Quando ergo CharitasDei, accendit simul & rorem lachrymarum, non ad exstinguendum, verùm ad temperandum affert, triumphandũ est. Charitas mundi non eget fletu, tota in risum effusa, misero exitu; flere enim post mortem cogit. Hoc S. Macarius explicuit, Lacrymæ dum vivimus lavant, post mortem cruciant, hic sordes abstergunt, illic fontes comburunt: nam apud damnatos à Charitate, vera perennium lacrymarum æternitas pincernaest, apud electos nullæ lacrimæ; quia hic expresserunt; æternitasperennis gaudij Torrens est, Ore Domini dictum. *Vos flebitis*, (Charitate mea eas subministrante) *mundus autem gaudebit.* (Inferno illis præ ludente) *sed tristitia vestra vertetur in gaudium* illorum verò gaudium in luctum sempiternum. O quis numerabit guttas MARIÆ ex Charitate profluentes, Joan. 16.
 idem

idem numeret & gaudia easdem compensantes. Stella ergo Charitatis sicut flamma in Corona Reginæ coruscat in æternum.

Cap. XII.

De Duodecima Stella Perseverantiæ in Corona Reginæ cæli.

ALiæ virtutes sunt quasi accidentia quædam, quæ eunt, redeunt, secundùm resistentiam peccato, aut cōsensum in bonum; Perseverantia est quasi substantia, quæ si manet, semper benè actum. Permissivè concedit Deus & patitur, ut ex fragilitate carnis, vitia cum virtutibus certent, & alternatâ vice vitæ hominum assistant, Perseverantia unus actus & ultimus, dicente Christo. *Qui perseveraverit in finem, hic*
Matt. 24. *salvus erit.* Charitas quidem complectitur omnes perfectiones Christianas, at ipsam charitatem commendat perseverantia, & coronat, aliâs evaporat. Quot sunt qui Charitatis perseverantia destituti, Charitatem in cælum portare se-

ſecum non valuerunt? de talibus dicit Dominus: *Cæpit ædificare, & non potuit conſummare.* Quid prodeſt feliciter navigare, ſi navis in portu pereat? aut pugnæ tempore ſtrenuè ſe gerere, ſi ultimò hoſti cedat victoria? aut arare & ſerere diligenter ſi meſſis tempore, ſegetes evaneſcunt? Perſeverantia eſt quæ præmium, gloriam, coronamque conſequitur, nil prorſus conferunt virtutes omnes ſine perſeverantiæ dono: nam cum juxta merita ſtatus, homo judicetur, prout invenitur, ſic judicium formatur. Perſeverantia eſt, per quam ad bravium curritur; ſed currendum: ut S. Paulus admonet *Sic currite ut comprehendatis.* Obſtacula plurima ſunt. Impedit caro curſum, cùm vel bonorum operum tædio laſſatur, ut pluribus contigit. In primordiis Eccleſiæ, quàm ferventes fuerint Diſcipuli Domini, docent acta Apoſtolorum, cum frequenter numero Sanctorum impletum fuit Calendarium: vel caro etiam onere aliquo fatigatur, & quieſcere cogitur. Judas bene cæpit, non perſeveravit, marſupium plenum pecuniâ gravem reddidit, & ad quieſcendum in patibulo invitavit, vel ſi caro infirmi-

Luce 14.

1. Cor. 9.

tate premitur, cum non possit jejunare, orare, & eleemosinâ egentibus subvenire; crapulâ & otio dum confirmantur vires, amittitur bravium. Mundus detinet voluptatibus, & immunditiâ inquinat oculos, aliosq; sensus, & sic occupatos, subsistere in cursu facit. Dæmon persuasione & occasione peccandi, deviare facit à perseverantiæ cursu, vel spe malâ, vel desperatione, uti S. Gregor. scribit. *Sperando, & desperando homines pereunt, sperando malè in vita, desperando pejus in morte.* Via est difficilis ad bravium beatitudinis æternæ consequendum, oportet habere conductorem; habemus JESUM, habemus MARIAM certos & peritos perseverantiæ Prodromos; nam & dæmon, & caro, & mundus, fingunt se velle ostendere bravium, decipiunt, cum sub mortem, ubi maximè oportet non errare, aufugiunt: Corpus ad sepulchrum, Dæmon ad infernum, mundo relinquente, & ad alios decipiendos properante. Tribus modis, suo exemplo in viam perseverantiæ ducit Salvator, portando Crucem ad montem Calvariæ, Clavis, manus & pedes detinendo, dicendoq; *Consummatum est.*

Joan 19. Cru-

Crucem oportet portare ad Calvariam: non destitit, licet cecidisset aliquoties, ut traditio fert, donec in monte Calvariæ deposuisset trabem; sic nos licèt per peccatum sæpissimè cadamus, pergamus tamen, donec ad Calvariam perveniamus, id est ad mortem, quæ vera Calvaria est: quia & caput carne nudatum calvariam appellamus: Clavis compassionis Christi detineamur, qui dicuntur fuisse quatuor. Novissima totidem in omnibus nostris actionibus imprimamus, per operationem manuum, & profectum ad bona opera pedum. Ut ergo ostenderet Deus difficultatem perseverantiæ, clavis detineri voluit in Cruce, & licèt Pater Deus dereliquerit eum, latro unus improperabat, quòd non descenderet, & liberaret se, & illum de Cruce, Judæi invitabant ad descendendum. *Si filius Dei es descende de cruce*, non descendit. Matt. 27. Dæmon etiam vult, & persuadet ut descendamus, sicut ille descendit è cælo ad infernum, nos vero ascendamus cum Duce nostro. Sequitur verbum *Consummatum est.* hoc S. Paulus imitatus, exclamat: *Cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita mihi est* Joan. 19. 2. Tim. 4.

Apoc. 2. *Corona justitiæ*. Et in Apocal: *Esto fidelis ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Sic nos consummemus vitam oportet, ut dicere possimus, cum Antesignano nostro: *opus consummavi, quod dedisti*
Joan, 17. *mihi ut faciam.* De Beatissimæ Virginis perseverantia multa essent dicenda cũ enim à Conceptione immaculata, cæpisset servire Deo, usque ad mortem perseveravit, scilicet filii, quæ ipsius mors erat, & ad suæ animæ à corpore separationem. Perseveravit in servitio Dei, in juventute templum in habitando, deinde pariendo, custodiendo, & pascendo Christum, in tota vita vestigia ejus sequendo assiduè; & conservando omnia verba filii in corde suo, in morte Domini perseveravit stando, nam perseverantia stando acquiritur.
1. Cor. 10. S. Paulus admonet: *Qui stat videat ne cadat.* Nunquam cecidit MARIA, in perseverantia sua, stetit usq; ad consummationem. Sicut enim Christus incepit redemptionem in præsepio, mansit in ligno, arbore videlicet; in Ægypto, Patrem putativum habuit (ut opinio fert) fabrum lignarium, deniq; in ligno vitam conclusit: sic MARIA adfuit in omnibus filio, reposuit

eum

eum in ligno natum, mansit cum illo in ligno exulans, maritum habuit fabrum lignarium, stetit sub ligno, in quo filius perseverantiæ donum docuit: Ultimum telum inimicus vibrat, cùm de perseverantia hominem amovere conatur, post perseverantiam aut Corona aut pæna sequitur. Hoc mirum, quòd perseverantia in mundo, sit prototypon, & æmula æternitatis: ideo dicimus æternam nos habere hæreditatem, in bonis quæ possidemus, incipimus in utero vivendi, quasi æternitatem, continuamus vivendo, & ad senectutem perseverando; arcta ergo via est, quâ inchoamus duraturam in Sæculo perseverantiam: Eodem modo per angustam portam ordimur æternitatis perseverantiam, sive bonam, sive malam, Christus Dominus ut viam ostenderet perseverantiæ, parvus venit in uterum MARIÆ, per angustam portam intravit in mundum, ut nos vicissim similem introitum haberemus in cælum, Lucifer voluit cum sede intrare in cælũ, non potuit, aliam ergo latam adinvenit; multum enim sedes, qua cum Deo considere voluit loci occuparat, dum ergo non intrasset cælum, de-

decidit cum sella ad infernum, & viam dilatavit. MARIA trimula, in cella exigua penes templum parabat se, ut assuesceret angustiis. Domus quoq; Lauretana, monstrat incapacitatem loci; itaq; facilè in morte ingressa est cælum, etiam cum corpore, propter subtilitatem, & humilitatem, cum qua nullus mortalium comparari potuit; si ergo Christo asserente, *facilius est camelum, intrare per foramen acus, quàm divitem intrare in Regnum cælorum.*

Math. 19. Marc. 10. Lucæ 18.

Ergo humili, & pauperi facillimè, qui gibbo, id est peccato, non est impeditus patet ingressus; MARIA fuit pauper & humilis, absque gibbo peccati, itaq; liberè ingressa est cœlum, & sicut cum corpore & anima Christus, exivit per angustam portam uteri MARIÆ in mundum, ita vice versâ ingressa est cælum, per strictam januam, cum corpore, & anima MARIA; JESUS propter reparationem, & restitutionem mundi venit; Inde canit Ecclesia: *Deus qui filii tui humilitate, jacentem mundum erexisti.* Erexit illum Christus, & omnes electos glorificando, præcipuè tamen MARIAM, immo vocari jussit illam januam cœli, quam aperuit, tanquam

quam Reginæ cœli, & Matri suæ, & per ejus intercessionem omnibus electis. Sicut ergo Christus, perseveravit ad verbum *Consummatum est*, sic MARIA perseveravit in terra, & in cœlo perseverabit in gloria, non ad verbum consummatum, sed ad verbum, de quo scriptum: *Verbum Domini manet in æternum.* Esaiæ 40. Deus non latam viam, verùm semitam reliquit, pro qua orat Rex. *Deduc me Domine, in semitam mandatorum tuorum.* Psalm. 118. Dæmon contrario, videns arctam viam ad cœlum, invitans ad infernum, latam & floribus voluptatum conspersam ostendit, & ponit obstacula ubique ut potiùs illam teneant mortales. Narratur in Historia Polonica, cum Præmislus resciviſſet legem de eligendo Rege positam, quòd quicunque perveniſſet ad metam, citius aliis cursu equi, ille coronaretur, loca circumquaque ferro conspersit, sibi semitam reservando planam; cursu instituto, equi aliorum læsi ferro, cadebant, claudicabant, deficiebant in cursu, ille palmam suâ viâ obtinuit. Cum ergo Lucifer, intercluſiſſet iter cæleste, variis impedimentis, videlicet divitiis, superbiâ, ambitione, deliciis, Christus se-

mitam securam, paupertate, humilitate, charitate, & in his perseverantiâ præparavit. De semita sua humilitatis
Luc. 1. gloriatur MARIA: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc dicent me beatam, omnes generationes.* Sic reliqui sancti, tenuerunt semitas virtutum, per quas pervenerunt ad metam beatitudinis, quia ad ingressum cæli, adstant janitores, qui omnes interrogant, an sunt digni intromitti? quod majus, ex opinione Davidis, Christo intranti cœlum hoc contigit, clamant Angeli:
Psalm 23. *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*; Respondetur intus. *Quis est iste Rex gloriæ?* Echo: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*, Non aperiunt adhuc: Iterum ergo clamor auditur: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Iteratur: *Quis est iste Rex gloriæ?* Replicatur. *Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*: statim patefit porta. Quare non prius? quia adhuc Dominus licèt fortis & potens, erat tamen in prælio; deerat virtus perseverantiæ quisnam vinceret; cum verò Dominus virtutum venisset, inter

quas

quas est perseverantia, illico aperta fuit porta. MARIA ergo quia fuit fortis, potens in prælio, & virtute perseverantiæ ornata, ipsumq; fortem Deum, & fortem antagonistam, illum charitate, hunc humilitate superavit, facilè intromittitur in thalamum cælestem. Itaque perseverantia est Janitor cæli; quia aperit: feretrum, quia eò defert: est conductor; quia iter ostendit: est custos; quia à peccato deterret: est sal; quia virtutes omnes sapidas reddit, est Rex; quia coronat. Sicut ergo perseverantiæ malæ, Magistra est Eva, quia dæmonis persuasioni se accommodavit; ita MARIA, magistra est bonæ perseverantiæ, quia mandatis & præceptis Dei obedivit. In mundo inveniuntur multi qui perserantiam MARIÆ imitantur, & multi sunt qui Evam seqvuntur, & tentationis tempore succumbunt, perseverantiæque dono privantur. Quia verò electi omnes, laureâ perseverantiæ decorantur, passim occurrunt exempla etiam eorum qui non sunt assecuti virtutem perseverantiæ. Duo nunc proponemus. Notaforte historia de Nicephoro, cui cum Sapricio sacerdote culta amicitia, versa fuisset

fuisset in odium, nulloque modo potuisset redintegrari, interim tempestas orta in Christianos à Tyrannis; Sapricium etiam involuit, nihil tamen in tormentis aut dixit aut fecit, Christiano indignum, jamque ad palmam vocabatur, cum Nicephorus ad genua euntis accedit, lacrymisque veniam exorat: audiebat hæc Sapricius, neque tamen verbis vel oculo, dignatus est Nicephorum; cœlo verò non placuit sertum imponere victoriæ, qui se ipsum vincere non potuit, cervicem itaque jussus præbere, turpi vitâ redemit mortem, & ex sacerdote Christi, factus mancipium Diaboli, Nicephorus succedaneam victimam se obtulit & in aliena præmia involavit. Ecclesia celebrat festum quadragintaMatyrum, hi à crudeli tyranno, (ut insidias virtuti sterneret) cum nudi sub frigidissimo cœlo, in lacu collocati essent, ponè littus balnea constituit, ut is qui perdurare non posset receptaculum inveniret. Unus ergo ex illis, absente perseverantiâ eò se recipit, sed continuò invenit mortem qui vitam quæsiverat, victurus, si mortē non fugisset, interea coronæ perseverantibus è cælo delabuntur, & singulorum

Ex Metaph.

S. Bas. Hom. 10.

rum capita ambiunt, dumque unam, de custodibus aliquis vacare spectat, non negligendam ratus coronam, quæ cœlo venit, Christianum se esse denuntiat, simulque in aquas insiliens, numerum felicissimum restaurat, & ereptam alteri coronam suo imposuit capiti, Ecce perseverantia deserente, amiserunt hi duo coronam. Itaque dabimus unum exemplum perseverantiæ de S. Luciano, qui felicior fuit: nam dum carceri ob fidem inclusus esset, ibique inaudito sacrificii modo celebrasset, vocatis discipulis ait; vos in orbem me cingite, & templum eritis, sacra deinde pectori meo imponite. Hæc viva ara, dixit, fecit, mox ad ingressos tortores ter clamat: *Christianus sum*; & subinde mortuus tacuit, & perserverantiâ concludendo, æternæ vitæ initium ingressus. Sic halitus ultimus testis perseverantiæ, vel bonæ, vel malæ. Nescio ergo quo nomine vocabo perseverantiam? an Coronam? an Gemmam? an Stellam? an annulum gemmam circumdantem? an aurum? quia pondus omnibus addit virtutibus. In Corona Reginæ Cœli Perseverantia, est gemma; quia fulgore illuminat; Est stella; qnia

Ex Surio

in

in cælo fixa æternum manet. Eſt annulus, quia circuitu ſuo absque fine complectitur omnia præmia, eſt aurum, quia præponderat omnium merita. O utinam MARIA, tuam Coronam tam mirificè ſtellis duodecim ornatam, aliquando intueri poſſimus, fac nobiſcum miſericordiam, uti Mater miſericordiæ, & mecum tanquam cum viliſſimo mancipio tuo, uti dum filius tuus, crucem ſuam diviſit & diſtribuit in terra, quatenus pignus amoris relinqueret nobis: ita tu plena gratiâ MARIA particulas virtutum tuarum, demitte miſeris, ut in cœlo perſeverantiâ introducente, coronas noſtras deponendo coram te, infinitas filio tuo pro merito paſſionis, tibi vero pro interceſſionis medio procidentes, æternas cum jubilo agamus gratias. Et cum hac prece, encomium claudo de tuis duodecim virtutibus, tuâ gratiâ ſuggerente conſcriptum.